Radermacher, Ludwig
Observationes in Euripidem miscellae

OBSERVATIONES
N EVRIPIDEM MISCELLAE

RIPSIT AD RITE OBTINENDOS SVMMOS IN
ILOSOPHIA HONORES TRADIDIT AMPLISSIMO IN
IVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
ILOSOPHORVM ORDINI DEFENDET VNA CVM
NTENTIIS CONTROVERSIS PVBLICE DIE XXVIII
MENSIS IVLII ANNI MDCCCLXXXXI HORA XII

LVDOVICVS RADERMACHER
RHENANVS


ADVERSARII ERVNT

RICARDVS IAHNKE DR. DES. PHIL.
CAROLVS LOHMEYER SEM. SOD. ORD
CAROLVS MEVRER SEM. SOD. ORD.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.

MDCCCLXXXXI


LIBRARY
717288
UNIVERSITY OF TORONTO

HERMANNO VSENER

IN HAC VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
PER QVINQVE LVSTRA PROFESSORI

S.

Alcest. 1123 sq.

ΑΔ. ὦ θεοί, τί λέξω; θαῦμ'[1] ἀνέλπιστον τόδε·
γυναῖκα λεύσσω τήνδ' ἐμὴν ἐτητύμως,
ἢ κέρτομός με θεοῦ τις ἐκπλήσσει χαρά;
ΗΡ. οὐκ ἔστιν· ἀλλὰ τήνδ' ὁρᾷς δάμαρτα σήν.

an χαρά apte diceretur ἐκπλήσσειν primo Nauckio[2] dubium visum est; assensi sunt alii. Quod quanto iure fecerint, nunc non quaeram; aliud enim est, quod multo gravius me adfecerit, genetivus e voce χαρά mira significatione suspensus. Neque enim θεοῦ χαρά re vera idem esse atque θεόπεμπτος χαρά — tale sententia flagitat — mihi persuadeo, quia, si genetivus illi substantivo additur, is hominem quidem notare potest, qui gaudet aliqua re, aut rem, qua quis delectatur[3], sed pro lege sermonis Graeci amplius nihil. Nam χαρά a χαίρειν ducitur verbo intransitivo quod vocant, non a χαίρειν ποιεῖν. Quamobrem paene necessaria exsistat correctio, quam a Buechelero olim propositam esse video:

ἢ κέρτομός μ' ἐκ θεοῦ τις ἐκπλήσσει χαρά[4];

eademque coniectura alterum, quod versui insidet, mendum tollitur. Scilicet eam legem Aeschylum, Sophoclem, Euripidem in fabulis antiquioribus amplexos esse constat, ut, cum θεός vocabulum in synizesi pronuntiari vellent, longam syllabam praemitterent[5]. Verum tamen emendatione illa accepta num melius

---

[1] φάσμ' Nauck. Stud. Eur. II p. 84. cf. Kviçala, Studien zu Eur. II p. 100.

[2] loco indicato. Vide tamen exempli causa Aeschyl. Choeph. v. 225 Kirchh.

[3] cf. Alcest. 579 σὺν δ' ἐποιμαίνοντο χαρᾷ μελέων βαλιαί τε λύγκες — dubium est πρὸς χαρὰν λόγων Soph. Trach. 179.

[4] apud Baierum, animadvers. in poetas tragicos Graecos p. 52 (diss. Bonn. 1874). non curant hanc rem Wheelerus (de Alcestidis et Hippolyti Eurip. interpolationibus dissert. Bonn. 1879 p. 41) qui proposuit: ἢ κερτόμῳ με θεῶν τις ἐκπλήσσει χαρᾷ, aut F. W. Schmidtius: ἢ κέρτομός με θεῶν τις ἐκπαίζει τάχα; χαρά in χάρις mutat Kviçala.

[5] cf. Baier. l. indic.

se habet, quod χαρά appellatur κέρτομος? Irrisorii fingi possunt homines, personae, sermones, pompae, voces, imagines, vel gaudium irridendi facile quis sibi finxerit; minime vero facile gaudium irrisorium. Accedit aliud. Esse quasi familiam quandam interpolationum, quae per Sophoclis Euripidisque tragoedias pullulaverit hominibus absurdis curantibus, ne quid tragici viderentur omisisse, Wilamovitzius observat praeclara disputatione Analectis Euripideis inserta III, 3 p. 205. E pluribus pauca exempla selecta apponam:

Eur. Andr. 810 πόσιν τρέμουσα, μὴ ἀντὶ τῶν δεδραμένων
ἐκ τῶνδ' ἀτίμως δωμάτων ἀποσταλῇ
[ἢ κατθάνῃ κτείνασα τοὺς οὐ χρὴ κτανεῖν]
El. 308 αὐτὴ μὲν ἐκμοχθοῦσα κερκίσιν πέπλους
[ἢ γυμνὸν ἕξω σῶμα καὶ στερήσομαι.]
Hercul. 184 ἐροῦ τίν' ἄνδρ' ἄριστον ἐγκρίναιεν ἂν
[ἢ οὐ παῖδα τὸν ἐμόν, ὃν σὺ φῂς εἶναι δοκεῖν.]
Med. 246 ἔξω μολὼν ἔπαυσε καρδίαν ἄσης
[ἢ πρὸς φίλον τιν' ἢ πρὸς ἥλικα τραπείς·]
Cycl. 202 ἀλλ' εἰ θανεῖν δεῖ, κατθανούμεθ' εὐγενῶς
[ἢ ζῶντες αἶνον τὸν πάρος εὖ σώσομεν.]

Quid igitur, quaeso, si nostrum versum et per se satis ineptum et cum arte metrica pugnantem eidem interpolandi studio tribuamus? Audio, inquit; sed tum quid postero versui faciendum esse censes, qui e praecedenti totus pendet? Ne eum quidem recte tradi puto, nisus observatione quadam exemplis compluribus firmata. Habes

Alc. 53 οὐκ ἔστι· τιμαῖς κἀμὲ τέρπεσθαι δόκει.
Alc. 539 οὐκ ἔστιν, ὦναξ· μὴ τοσόνδ' ἔλθοι κακόν.
Electr. 759 οὐκ ἔστι· νικώμεσθα·
Ion. 341 οὐκ ἔστιν· ἀνδρὸς ἀδικίαν αἰσχύνεται.
Iph. T. 538 οὐκ ἔστιν· ἄλλως λέκτρ' ἔγημ' ἐν Αὐλίδι.
Cycl. 116 οὐκ εἴσ'· ἔρημοι πρῶνες ἀνθρώπων, ξένε.
Med. 1404 οὐκ ἔστι· μάτην ἔπος ἔρριπται.
Orest. 307 οὐκ ἔστι· σὺν σοὶ καὶ θανεῖν αἱρήσομαι | καὶ ζῆν,
Troad. 306 οὐκ ἔστιν· οὐ πιμπρᾶσιν·
fragm. 373 οὐκ ἔστιν, ὦ γεραιέ, μὴ δείσῃς τάδε·[1]
τὰ Δαιδάλεια πάντα κινεῖσθαι δόκει.

---

[1] paucissima huius generis exempla adfert Eric. Bussler, de sententiarum asyndeti usu Euripideo. Diss. Hal. Saxon. 1887. p. 28.

Unde apparet Euripidem post οὐκ ἔστιν asyndeta quaesivisse, certe particulas adversativas evitasse. Nec obstat Hippol. 893

οὐκ ἔστι· καὶ πρός γ' ἐξελῶ σφε τῆσδε γῆς,

quoniam καί — γέ haud ita ad conexa magis copulanda, quam ad πρός fortius urguendum adscitum videtur. Plena oratio debebat esse haec: οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ καὶ πρός γ' ἐξελῶ σφε τῆσδε γῆς.

Paullo diversa res est in diverbio, quod exstat Electr. v. 1058 sq., quem locum totum exhibebo:

ΗΛ. ἆρα κλύουσα, μῆτερ, εἶτ' ἔρξεις κακῶς;
ΚΛ. οὐκ ἔστι· τῇ σῇ δ' ἡδὺ προσθήσω φρενί.
ΗΛ. λέγοιμ' ἄν· ἀρχὴ δ' ἥδε μοι προοιμίου.

Primo versu vitium haeret plurimis coniecturis temptatum; nam κλ consonas positionem non efficere Elmsleyus demonstravit; in altero versu quod δέ post οὐκ ἔστιν usurpatum invenis, alia exempla frustra circumspicies neque id mirum, quia δέ particulae usus ab oppositione tam vehementi alienus videtur; in tertio denique mala crux viris doctis exstitit 'exordium prooemii'[1]. Neque vero, ut dicam quid sentiam, tres istos versus ab Euripide abiudicare dubito, praesertim cum nihil novi sententiae addant[2]. Haec enim praecedunt:

ΗΛ. μέμνησο, μῆτερ, οὓς ἔλεξας ὑστάτους
λόγους, διδοῦσα πρός σέ μοι παῤῥησίαν.
ΚΛ. καὶ νῦν γέ φημι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι, τέκνον.

Itaque sine mora pergere poterat Electra:

εἴθ' εἶχες, ὦ τεκοῦσα, βελτίους φρένας etc.

Quamquam scio fore qui non libenter eripi sibi patiantur illud τῇ σῇ δ' ἡδὺ προσθήσω φρενί, qua adfirmatione Euripideae Clytaemnestrae mores egregie depingi autumabunt. Cum quibus in cassum pugnare nolo; velim modo reputetur foedis his versibus exemptis sat multos relinqui, quibus idem praeclare appareat.

Restat ut diiudicemus versum Orest. 1097. Verba sunt Pyladis, qui oratione praemissa fieri numquam posse praedicaverat, ut amicum eiusque sororem proderet. Quibuscum Cly-

---

[1] Ceterum persimilis est versus Iphig. Taur. 939:

λέγοιμ' ἄν· ἀρχαὶ δ' αἵδε μοι πολλῶν πόνων,

quem forsitan in usum suum interpolator, si quidem fuit, converterit.

[2] vide Wilamov. Herakles I p. 218 (cum adnot. 197).

taemnestrae caedem perpetrasset, cum iis se ipsum quoque mortem subire haud gravaturum. Deinde pergit vs. 1093:

τί γὰρ ἐρῶ καλόν ποτε,
γῆν Δελφίδ' ἐλθὼν Φωκέων ἀκρόπτολιν,
ὃς πρὶν μὲν ὑμᾶς δυστυχεῖν φίλος παρῆ
νῦν δ' οὐκέτ' εἰμὶ δυστυχοῦντί σοι φίλος;
οὐκ ἔστιν· ἀλλὰ ταῦτα μὲν κἀμοὶ μέλει.

De ultimo versu quod dubitatio animum subiit, neminem spero miraturum esse; sed praestat nihil mutare. Etenim vel si omnia, quae novimus, exempla asyndeton exhiberent, potuisse a tragico ἀλλά particulam praeeunte οὐκ ἔστιν usurpari fatui esset negare, quoniam boni scriptores ita locuti sunt [1]; eidem vero poetae sermonem nulla copula adscita continuare multo magis placuisse exempla supra adlata docent. Praeterea animadvertendum illa Pyladis verba in media oratione longiore exstare, aliamque rationem observari in stichomythia, ubi brevitatem consulto quaeri consentaneum est. Quare causam non video cur meum de Alcest. versibus iudicium mutem. Quos eiecto versu 1125 sic scriptos propono:

ΑΔ. ὦ θεοί, τί λέξω; θαῦμ' ἀνέλπιστον τόδε.
γυναῖκα λεύσσω τήνδ' ἐμὴν ἐτητύμως;
ΗΡ. οὐκ ἐστιν ἄλλη· τήνδ' ὁρᾷς δάμαρτα σήν.

ita ut idem respondendi genus huic loco vindicem, quod apparet Ion. 538: ΙΩΝ. πρῶτα δῆτ' ἐμοὶ ξυνάπτεις πόδα σόν; ΞΟΥ. οὐκ ἄλλῳ, τέκνον [2]. Pergit autem Admetus dubitare: ὅρα γε μή τι φάσμα νερτέρων τόδ' ᾖ· ac vel inde ineptum esse versum 1125 colligas ut qui iustum sententiarum ordinem perturbet.

Androm. vs. 64 sq.

nuntio adlato Menelaum et Hermionam id agere, ut filium Andromachae interficiant, mulier maerore obruta exclamat:

---

[1] Soph. El. 448. Antig. 279. Trach. 709. Aristophanis Ach. 1032. Mein.

[2] Soph. O. C. 319: οὐκ ἔστιν ἄλλη· φαιδρὰ γοῦν ἀπ' ὀμμάτων
σαίνει με προσστείχουσα,

Ceterum Troad. 1331: ἰὼ τάλαινα πόλις· ὅμως δὲ | πρόφερε πόδα σὸν ἐπὶ πλάτας Ἀχαιῶν, aut verum est: ἰὼ τάλαινα· μόλις, ὅμως δὲ etc., aut quid ὅμως sibi velit, non intellego.

οἴμοι· πέπυσται τὸν ἐμὸν ἔκθετον γόνον;
πόθεν ποτ'; ὦ δύστηνος, ὡς ἀπωλόμην.

Ac recte quidem in πέπυσται L. Dindorfius offendit, cuius haec sunt verba: 'Quis tandem πέπυσται? Menelausne an Hermiona? Enimvero ambo, ut in praecedenti versu est κτείνειν μέλλουσι et ubique per totam hanc scaenam. Vitiosa igitur oratio est, quae ex duobus quorum eodem uterque iure intellegi potest, unum memorat nec tamen nominat'. Dindorfi iudicium secutus Nauckius bene eorum opiniones redarguit, qui πέπυσται ad Hermionam spectare contenderant: 'Einmal', inquit, 'wäre es dann in der Ordnung gewesen zu πέπυσται das fehlende Subjekt hinzuzufügen, sodann aber wäre, wenn es etwa hiesse ἆρ' Ἑρμιόνη πέπυσται, die Beschränkung auf Hermione ganz wunderlich und höchst unerklärlich' (Eur. Stud. II p. 89). Consentiunt igitur viri doctissimi in statuenda corruptela, in versu corrigendo dissentiunt. Alter enim πέπυσθε reponi iussit, alter Nauckius πέπυσθον, quod etiamsi magis adridet, tamen vereor ut ab omni parte satisfaciat. Nimirum cur librarii πέπυσθον in πέπυσται corruperint, non pervideo, cum neque alibi talia confusa appareant neque vero litterarum ulla sit similitudo. Quare circumspiciendum est an fieri possit ut alio artificio sententiae succurramus. Exstat versus, quo nunc legitur loco saltem supervacaneus 73: hunc post 69 colloca et omnia plana erunt:


ΘΕΡ. τὸν παῖδά σου μέλλουσιν, ὦ δύστηνε σύ,
69 κτείνειν, ὃν ἔξω δωμάτων ὑπεξέθου·
73 φροῦδος δ' ἐπ' αὐτὸν Μενέλεως δόμων ἄπο.
ΑΝ. 70 οἴμοι· πέπυσται τὸν ἐμὸν ἔκθετον γόνον;
πόθεν ποτ'; ὦ δύστηνος, ὡς ἀπωλόμην.

Video autem paratum esse argumentum quo coniectura mea commendetur, positum id quidem in numeris quibus tota haec scaena in fixum ordinem redacta est. Cerni apud tragicos interdum studium quoddam etiam diverbia via ac ratione ita disponendi ut certorum membrorum modo perplexa magis modo minus elaborata congruentia evaderet, cum alii multi observarunt, tum Euripidis in hac re elegantias R. Hirzelius [1] libro peculiari persecutus est. Ac quamquam bene scio vix esse materiam tam lubricam atque etiam odiosam cautis iudicibus, tamen facere non possum quin hominum doctorum oculos convertam

---

[1] de Euripidis in componendis diverbiis arte. Lips. 1862.

in versuum distributionem, qualis in illo colloquio deprehenditur. Difficile enim est fortuita existimare quae tam manifesta sunt. Serva igitur initium facit octo versibus, respondet tribus Andromacha[1]. Tum tres ancillae versus (68, 69, 73) duo Andromachae excipiunt, hos unus servae. Iam evertitur personarum series; tres enim Andromachae trimetri dantur (74—76), duo servae (77, 78), unus Andromachae. Sequitur stichomythia versuum quaternorum; denique ancilla priusquam de scaena decedat, tribus perorat. En tibi numeros:



Sed haec hactenus. Transeo ad versus Helenae 78 sq. simili, ut opinor, labe infectos. Ibi cum Teucer subito Helenae aspectu quasi oppressus verba irae minarumque plena effudisset, illa mirabunda quaerere coepit:

τί δ', ὦ ταλαίπωρ', ὅστις ὤν μ' ἀπεστράφης
καὶ ταῖς ἐκείνης συμφοραῖς ἐμὲ στυγεῖς;

quos versus quicumque attente legit, in καί particula haereat necesse est. Inde et emendationum multitudo et interpretandi laudabile studium. Exstitit summus vir G. Hermannus qui καί exaggerandi vim habere et ad ἐμέ pertinere iuberet; cui ne Klotzius quidem credidit ac suo quidem iure. Euripides enim si, quod negari nequit, non numquam in καί collocando libertate[2] quadam usus est, nusquam tanto intervallo neque ita particulam constituit, ut, utrum vi adverbii an copulae staret, in occulto relinqueretur. Quid igitur Klotzius? Mathiaei interpretationem amplexus ea ratione versum priorem intellegendum esse iudicat, quasi poeta, dum dicere volt:

τί δέ με ἀπεστράφης, ὅστις ὤν μ' ἀπεστράφης;

loquendi genus magis concisum adoptaverit. Cuius similitudo petitur a duplici interrogatione, velut Iph. T. 1360:

τίνος τίς ὢν σὺ τήνδ' ἀπεμπολᾷς χθόνα;

longe hercle repetita similitudo et temere. Praeterea nolim

---

[1] quattuor secundum libros; sed v. 67. recte Cobetus delevit.

[2] verbo tangam negationum collocationem insolentem. Certatim enim impugnant Eur. Phoen. 526 οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς. Debebat tamen dubitationem inicere Soph. O. R. 1457 οὐ γὰρ ἄν ποτε | θνήσκων ἐσώθην μὴ 'πί τῳ δεινῷ κακῷ. Contrarium est Eur. Bacch. 1287 δύστην' ἀλήθει', ὡς ἐν οὐ καιρῷ πάρει.

Euripidem nostrum hominem tam rusticum fingi, qui, ut quaeque maxime contorta atque abstrusa occurrebant, ea de industria adriperet, cum ei liceret qua solitus erat elegantia scribere:

τί δ' ὦ ταλαίπωρ', ὅστις εἶ, μ' ἀπεστράφης;

Quam ob rem ut non interpretationem sed emendationem versibus, de quibus agitur, adhibendam esse patet, ita in verbis traditis quidquam mutare religiosum sit, quod sine audacia fieri non potest. Suspicor igitur unum versiculum librariorum incuria intercidisse; ut quid deesse possit, ostendam:

τί δ', ὦ ταλαίπωρ', ὅστις ὢν μ' ἀπεστράφης,
⟨μάταια βάζεις ἠρεθισμένῃ φρενὶ⟩
καὶ ταῖς ἐκείνης συμφοραῖς ἐμὲ στυγεῖς;

Iterum vero res evenit satis notabilis. Scilicet Teucri scaenam ingredientis oratio in duas partes vel ἔα exclamatione interiecta dividitur, quarum priore, quae tres versus complectitur, regiam magnificentissime exstructam laudibus attollit, altera sex versuum mulieri occursanti mortem minitatur. Hinc disceptatio paribus versibus decurrit; secuntur enim terni trimetri Helenae hospitem iracundum vituperantis Teucrique temeritatem suam excusantis, tum priusquam in stichomythiam sermocinatio abeat, versibus singulis binisque Teucri nomen et patria eruuntur. Itaque ne huic quidem diverbio sua dispositio deest; unum autem certum mihi stat nullum hoc loco versum obviam esse interpolationis suspectum.

Androm. 404:

τί δῆτ' ἐμοὶ ζῆν ἡδύ; πρὸς τί χρὴ βλέπειν;

cur aucta pronominis forma poeta usus sit, ideo difficile est ad intellegendum, quia acumen orationis non in ἐμοί, sed in ζῆν aperte positum est. Adde in simili deliberatione dicentem Herculem Hercul. vs. 1301: τί δῆτά με ζῆν δεῖ; et Polyxenam Hec. 349: τί γάρ με δεῖ ζῆν; ᾗ πατὴρ μὲν ἦν ἄναξ etc., quae sententia quominus sic efferretur: τί γὰρ ἐμὲ δεῖ ζῆν, nihil obstabat. Adeas denique Alc. 960: τοιάνδε πρὸς κακοῖσι κληδόνα | ἕξω. τί μοι ζῆν δῆτα κύδιον, φίλοι; Med. 798 ἴτω· τί μοι ζῆν κέρδος; Soph. Ai. 393 εὔχου· τί γὰρ δεῖ ζῆν με σοῦ τεθνηκότος, ubi με intolerabile esset, nisi summa oppositionis in ζῆν et τεθνηκότος versaretur [1]. Haud igitur dubito quin Andromacha quoque Euripidea hunc in modum verba fecerit:

[1] Eur. Or. 1070 εἰ ζῆν με χρῄζειν σοῦ θανόντος ἤλπισας.

τί δῆτά μοι ζῆν ἡδύ; πρὸς τί χρὴ βλέπειν;

Neque aliter alio eiusdem fabulae loco peccatum est v. 1063:

καὶ σοῦ γε παιδὸς παιδὶ πορσύνων μόρον.

quo loco σοῦ personale sit necesse est. Nam aut σὸς παῖς παιδός aut παῖς παιδὸς σέθεν tragicis in usu fuisse primi Elmsleyus[1] et Lobeckius[1] observarunt. Quam ob causam corrigo

καί σού γε παιδὸς παιδὶ πορσύνων μόρον,

neque enim id agitur utrum Pelei an alterius nepotem Orestes interfecturus sit[2]. Indidem nescio an praestet Hecub. v. 10 scribere:

πολὺν δὲ σύν μοι (σὺν ἐμοὶ ll.) χρυσὸν ἐκπέμπει λάθρᾳ,

quod si recte proposui, monosyllabum breve in secundi pedis elevatione[3] collocatum altero eoque longo excipitur. Hoc eo referendum quod omnino si ante caesuram penthemimeren vocabulum unius syllabae ambitu inseritur, id longum esse solet, numquam tamen saepius quam brevi monosyllabo praecedente:

Aeschyl. Pers. 200[4]	καὶ ταῦτα μὲν δὴ νυκτὸς εἰσιδεῖν λέγω·
Sept. 605	γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φύει.
Soph. Ai. 786	ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο μὴ χαίρειν τινά.
Antig. 896	κάτειμι πρίν μοι μοῖραν ἐξήκειν βίου.
Eurip. El. 230	ζῇ· πρῶτα γάρ σοι τἀγάθ' ἀγγέλλειν θέλω.
Heracl. 966	οὐχ ὅντιν' ἄν γε ζῶνθ' ἕλωσιν ἐν μάχῃ.
Med. 1141	κυνεῖ δ' ὃ μέν τις χεῖρ', ὁ δὲ ξανθὸν κάρα.

Huius autem usus tenacissimus est Aeschylus, quoniam in septem tragoediis septies tantum monosyllabum breve admisit, nusquam in Persis, bis in Supplicibus, singulis locis in Sept. Agam. Choeph. Eumen. Prom., si quidem, quod non dubito, Prom. 973 scribendum est: ἦ κἀμὲ γάρ τι ξυμφορᾶς (συμφ- M) ἐπαιτιᾷ;

Neglegentior Sophocles; attamen id mirum est quod in Philoctete, cuius numeros ceteroqui laxiores esse constat, legem quam statui viginti locis secutus semel migravit. Simile quid Euripidi nostro accidisse statim videbimus. Is enim cum in fabulis antiquioribus minime severum in illa re sese praestitisset,

---

[1] Bacch. vs. 1326. — in editione Aiacis p. 61 not.

[2] Cave etiam ne in γέ haereas. Quae particula adfirmativa est, ut fere in responsionibus, non ad σοῦ exaggerandum adscita.

[3] elevationem dico, quam nostri metrici arsin vocant.

[4] Kirchhoffi numeri.

in iis, quas sub finem vitae edidit, maiore se diligentia adstrinxit, id quod tabula adpicta docebit [1]

monos.	longum.	breve.
Alc.	13	4
Med.	16	8 [2]
Hippol.	15	4
Heracl.	12	5
Androm.	10	6
Hecub.	12	6
Iphig. Taur.	21	5
Orest.	12	1 [3]
Phoen.	12	3
Iph. Aul.	8	2
Bacch.	6	0
[*Cyclops*	6	0]
Rhesus	8	0]

Itaque in hac quoque re Rhesi poeta ab Euripide satis diversum se praebet. Verum operae pretium est Aristophanem adire, ut quam ad normam in ista re scriptionem direxerit, eruatur. Is igitur in Thesmophoriazusis nullum, in Acharnensibus, Equitibus, Vespis, Lysistrata, Pluto singula, in Ecclesiazusis duo exempla admisit, quae cum observatione nostra pugnarent; quod vero in Pace et in Avibus ternis locis regulam violavit, hoc ex numero forsitan eximendi sint duo ii, qui ad ἐς praepositionem pertinent ab editoribus invectam (Pac. 81. Av. 1209). Eodem spectant duo Ranarum (vs. 499, 562) et unicum Nubium exemplar v. 1190. Porro ex iis, quas enumeravi, exceptionibus non nullae inde excusantur quod vocabulum ante caesuram collocatum etsi longum non est, tamen fortiore quodam sono distinguitur, velut est Eq. 206 ὁ δράκων δὲ πρὸς τί; Pac. 660 ἣ δ' ἀλλὰ πρὸς σὲ μικρὸν εἰπάτω μόνον. Vesp. 1393 δεῖ καὶ δίκας | ἔχειν διὰ τὸν

---

[1] pro εἰς semper ἐς substitui, sed vide p. 15 infra.

[2] cf. tamen p. 14.

[3] coniectura obtrusum Orest. 694: σμικροῖσι μὲν γὰρ τὰ μεγάλα πῶς ἕλοι τις ἂν | πόνοισι libri; hinc μέν delevit Barnes; si τά sustuleris, quod suadeo, et concinnior erit oratio, et notandum μὲν γάρ in hac ipsa versus sede sescenties occurrere (τά dittogr. propter γάρ). Respondet δέ in versu 698: εἰ δ' ἡσύχως τις ctt.

σὸν οἶνον, vel inverso ordine Pac. 144 λιμὴν δὲ τίς σε δέξεται φορούμενον; Av. 1024 ἔπεμψε δὲ τίς σε δεῦρο; Neque aliter tragici. Vide modo Euripidis Medeam: v. 312 καὶ νῦν τὸ μὲν σὸν οὐ φθονῶ, v. 460 ἥκω, τὸ σὸν δὲ προσκοπούμενος, γύναι· v. 500 δοκοῦσα μὲν τί πρός γε σοῦ πράξειν κακῶς; v. 1222 καί μοι τὸ μὲν σὸν ἐκποδὼν ἔστω λόγων. Sed ut ad Aristophanem redeam, veras exceptiones paucissimas relinqui intellegis: Acharn 796 (ἂν τὸν ὀδελὸν in Megarensis or.) Av. 1143, Lysistr. 201, Eccl. 412, 1149. Plut. 559; at octoginta fere locis comicus legem secutus est, in hac observantia vel tragicis severior. Sunt haec fortasse levia; quare venia a lectore impetranda est quod huius disputationis finem non faciam, priusquam alteram de monosyllabis brevibus observatiunculam subiecero. Illae enim voculae cum in elevatione trimetri saepissime positae inveniantur — quamquam ne in hoc quidem usu tragici inter se conspirant, qui vel singuli in singulis tragoediis haud sibi constent — tamen raro factum est ut in binis deinceps pedibus arsin occuparent, veluti Aeschyl. Pers. 457 ὅποι τράποιτο· πολλὰ μὲν γὰρ ἐκ νεῶν. Cuius generis apud Aeschylum non amplius octo exempla deprehendi, apud Sophoclem in totidem fabulis viginti tria, undetriginta denique in Euripidis tragoediis. Nihil eiusmodi apud Rhesi scriptorem. Ac vel inde longe gravissimos trimetros Aeschylum panxisse, Euripidis autem senarios Aeschyleis quam Sophocleis aliquo modo similiores fuisse licet nobis concludere. Praeterea vero inter se eo discrepant quod Aeschylus plurima exempla in initio trimetri (4) admisit, deinde post semiseptenariam (3. cf. Pers. 766 θρόνοισί τ' ἀρχαίοισι· τὸν δὲ σὺν δόλῳ), Sophocles plurima post semiseptenariam (8), pauciora (5) in initio versus exhibuit, cum Euripides eum locum praeferret, qui est post semiquinariam (10), tum trimetri exordium (9). Rarissima autem est haec species: τὰ δεύτερ' ἐκ τῶνδ' ἂν λέγοιμ', ἅ μοι δοκεῖ, quae cum apud Sophoclem quater recurrat in Oedipo Rege, apud Euripidem quinquies invenitur. Porro tragici enixe operam dederunt ut, si primas duas trimetri elevationes monosyllaba brevia insedissent, a spondeo versus ordiretur; conf. Aeschyl. Suppl. 469, Soph. El. 441. O. R. 590 O. C. 748, 992, fr. 479 Nauck. Eur. Hippol. 1042, Hecab. 1269, Hercul. 274, Suppl. 568, Iph. Taur. 670, 1201, 1407, Or. 1132. Semel quidem est Sophocl. Antig. vs. 80 σὺ μὲν τάδ' ἂν προὔχοι' —, semel Eur. Iph. T. 936 τί γάρ ποτ'

ἐς γῆν; quod exemplum rectius abicerem [1], denique Aeschylus ter a τά demonstrativo versum incepit Agam. 530, 794. Choeph. 270; sed iis omnibus unde petenda sit venia nemo non facile intelleget. Sequitur ut eius quam rarissimam speciem vocavi, exempla proponam:

Soph. O. R. 282 τὰ δεύτερ' ἐκ τῶνδ' ἂν λέγοιμ' —
1116 προὔχοις τάχ' ἄν που, τὸν βοτῆρ' —
1492 ἀλλ' ἡνίκ' ἂν δὴ πρὸς γάμων —
Eur. Med. 500 δοκοῦσα μὲν τί πρός γε σοῦ πράξειν —
Suppl. 469 εἰ δ' ἔστιν ἐν γῇ, πρὶν θεοῦ δῦναι σέλας.
517 καὶ πρῶτα μέν σε πρὸς τὰ πρῶτ' ἀμείψομαι.
[Soph. O. R. 700 ἐρῶ· σὲ γὰρ τῶνδ' ἐς πλέον σέβω]
[Eur. Alc. 1101 πιθοῦ· τάχ' ἂν γὰρ ἐς δέον πέσοι χάρις]
[Phoen. 981 Αἰτωλίδ' ἐς γῆν. — ἐκ δὲ τῆσδε ποῖ περῶ;]

Quo e numero pungit me Suppl. v. 517, ac μέν σε in μέν σου facile quidem mutaveris sed forsitan etiam leviter. Pergo ea exempla describere quae sunt post semiquinariam, ita plerumque comparata, ut aut in vocabulum quattuor syllabarum metrum exeat, qualis versus est Aeschyli Ag. 922, aut, si minus, pes paenultimus spondiacus efficiatur sic: ἄναξ· ὑπάρχει μὲν τόδ' ἐν τῇ σῇ χθονί. Deinde, id quod in ipsa harum vocularum natura positum est, una cum caesura sententiae incisionem facere amant: Eur. Hel. 1519 ὦ δεινὰ λέξας· τίς δέ νιν ναυκληρία — conf. Aeschyl. Ag. 922, Soph. El. 1351. Eur. Hippol. 790 El. 377. 506. Suppl. 95. 552. Ion. 1173. 386. fr. 378. Nulla incisio Soph. O. C. 560. Trach. 1078. Eur. Heracl. 181. El. 493. Phoen. 1627. Sed enim haec quoque inveniuntur:

Eur. Hippol. 790 γυναῖκες, ἴστε τίς ποτ' ἐν δόμοις βοή;
El. 493 ὦ θύγατερ· ἄρτι γάρ σε πρὸς δόμοις ὁρῶ.
El. 506 καὶ πατέρα τὸν ἐμόν, ὅν ποτ' ἐν χεροῖν ἔχων.

Contra non numero Soph. El. 1165 τοίγαρ σὺ δέξαι μ' ἐς τὸ σὸν τόδε στέγος.
Eur. Phoen. 1627 νεκρῶν δὲ τῶνδε τὸν μὲν ἐς δόμους χρεών,

namque ut tandem dicam, inconsiderate agere existimo eos, qui praecepto quodam Dindorfiano decepti ἐς, ubicumque per metrum licet, in tragoedia restituant ac pronuntient. Compertum

---

[1] propter ἐς; vide quae infra in eam sententiam disputabo.

quidem est ex inscriptionibus communem tum temporis ἐς fuisse scripturam; at in iisdem titulis πρέσβες ἐ̄ναι, δώσεν, ὀφείλεν, porro ἐλθōσαν, ἐνοικόντων alia reperies, quibus in vocabulis universis de pronuntiatione non ambigitur, sola scribendi ratio diversa est propter litteraturae tunc usitatae proprietatem. Hoc autem vetustum scribendi genus nemo, opinor, tragicis obtrudet. Ergo ne ἐς quidem retinebimus nisi paucis iis locis quibus dorica forma versu probatur. Quodsi haud raro, ubi metri necessitas nulla agnoscitur, ἐς in libris manu scriptis occurrit, eos, qui quondam textum tragicorum transcribendum curarent, analogiae legibus ubique obtemperasse quis spondebit? Adde librariorum notam in rebus ad orthographiam pertinentibus incuriam. Sed haec hactenus; nunc in viam redeundum est. De ea igitur forma, quam post semiseptenariam a Sophocle frequentari supra memoravi, ut Trachin. 1231: τὸ δ' ὧδ' ὁρᾶν φρονοῦντα τίς ποτ' ἂν φέροι, imprimis haec notabis quod ibi quoque sententiae pausa antecedere solet, deinde pes ipse paenultimus iambo expletur exemptis Soph. Trach. 308 et Philoct. 1224, denique, quod gravissimum est, semper vox iambica versum claudit. Omnino enim, quotiescumque monosyllabum breve elevationem paenultimam insedit, postremus trimetri pes uno vocabulo continetur, conf. Eur. Alc. 145 οὔπω τόδ' οἶδε δεσπότης, πρὶν ἄν πάθῃ. Quod genus creberrimum est [1] et perpaucas quasdam patitur iustas exceptiones: μὲν τί δεῖ Eur. Hec. 960, Soph. Phil. 11; τί γάρ με δεῖ Eur. Hippol. 20; γὰρ τὸ φῶς Iph. Aul. 1218; γὰρ τὰ νῦν O. C. 824; τὰ μέν, τὰ δ' οὔ Aeschyl. Pers. 793; τάχ' ἂν τόδ' ἦν Sept. 646. Neque vero dubitarem quin Eur. El. 1136 emendandum esset: ἡνίκ' ἂν δ' ἐμὲ (δέ με ll) | δοκῆτε θυσίας τῆσδ' ἀπηλλάχθαι —, nisi ἡνίκ' ἄν eodem iure, quo ὅταν, pro uno vocabulo accipi posse arbitrarer. Nam alia est versuum ratio apud Sophoclem: Phil. 422 οὗτος γὰρ τά γε | κείνων κάκ' ἐξηύρηκε, qui continenti agmine decurrunt, verum hoc quoque singulare exemplum. Quo magis miratus sum Soph. O. R. 320:

ἄφες μ' ἐς οἴκους· ῥᾷστα γὰρ τὸ σόν τε σὺ [2]
κἀγὼ διοίσω τοὐμόν,

---

[1] cf. Eur. Alc. 145, 165, 302, 323, 706, 771, 1013, 1119. Hec. 249, 301, 340, 362, 375, 573, 592, 861, 903, 1053, 1130, 1176, 1199 etc. etc

[2] Iure tragici operam dederunt ut et initia et exitus senariorum gra-

quae libertas sicut eo defenditur quod et σόν et σύ cum vi pronuntianda sunt, ita admodum mihi insignis videtur ideo quoque quia praeter hunc locum plures quam binas deinceps trimetri elevationes voculis brevibus monosyllabis occupari nusquam vidi. Qua observatione disputationem claudere licebit. Ne quid tamen dereliquisse videar, in fine huius libelli tabula adicietur e qua, quomodo per singulas fabulas tragici in duorum deinceps pedum elevationes monosyllaba brevia admiserint, quam accuratissime appareat.

Helen. vs. 131 cum codex exhibeat

κἀκ τοῦδε Μενέλαον οὔτις εἶδ' ἀφιγμένον,

editores recentissimi, Barnesium secuti, alteram nominis formam reposuisse satis habuerunt, cui tamen lectioni id obstat, quod Μενέλεως vocabulum, quotquot locis invenitur, haud aliter atque Ἰόλεως synizesin non patitur exceptis Eur. Or. vs. 18

Μενέλεώς τε Κρήσσης μητρὸς Ἀερόπης ἄπο

et Iph. T. 357 Μενέλεών θ', ἵν' αὐτοὺς ἀντετιμωρησάμην.

Aliud autem esse si quid licentiae in primo trimetri pede tragicus sibi adrogaverit, aliud si in tertio, nemo harum rerum peritus non concedet. Iam vero Iph. Aul. 506 coniectura illatum est

αἰνῶ σε, Μενέλεως, ὅτι παρὰ γνώμην ἐμὴν —

Libri enim: αἰνῶ σε, Μενέλαος, unde Marklandus memor Troad. versus 890 αἰνῶ σε, Μενέλα', εἰ κτενεῖς δάμαρτα σήν effecerat αἰνῶ σε, Μενέλα', ὅτι παρὰ γνώμην ἐμὴν — utique ratus ος syllabam dittographia ortam esse, quoniam ὅτι[1] subsequitur. Quae coniectura mihi quoque probatur. Sed in illo Helenae exemplo, unde profectus sum, ne ἐκ τοῦδε quidem placet; namque ut 'antehac' fuit πρὸ τοῦ, sic 'dehinc' ἐκ τοῦ Euripidi valuisse puto. Velut est El. v. 1263 ψῆφος βεβαία τ' ἐστὶν ἔκ γε τοῦ βροτοῖς. Itemque Hercul. v. 947, ubi in libris ἐκ τοῦδε βαίνων ἅρματ' οὐκ ἔχων ἔχειν | ἔφασκε invenitur, fortasse, ne copula sententiae desit, praestat: ἐκ τοῦ δὲ βαίνων ἅρματ' οὐκ ἔχων ἔχειν | ἔφασκε, et ei coniecturae favent Dionis Chrysostomi

vitate quadam exornarent: itaque his locis monosyllaba cumulare noluerunt. At Sileno dignum est quod exstat Eur. Cycl. 558

ΚΥ. ἀπολεῖς· δὸς οὕτως. ΣΕΙ. ναὶ μὰ Δί' οὐ πρὶν ἄν γέ σε
στέφανον ἴδω λαβόντα γεύσωμαί τέ τι.

[1] Sic versibus septendecim ante πράγματ' in πράγματα δ' abierat.

codices, in quibus exaratum sit: αὐτοῦ δὲ βαίνων etc. Tecmessa Sophoclea postquam Aiacem e furore misere resuscitatum intra arietum cadavera concubuisse narravit, v. 311 pergit: καὶ τὸν μὲν ἧστο πλεῖστον ἄφθογγος χρόνον, ubi cum articulum male a nomine, quo pertinet, divulsum esse sensisset, Nauckius καὶ τότε μὲν ἧστο corrigere voluit, ego de κἀκ τοῦ μὲν ἧστο[1] cogitabam, quae scriptura et sententiae satisfacit et facillime corrumpi potuit. Hoc enim certum est crasi, quae dicitur, perverse intellecta plurimas corruptelas in libris Graecis originem duxisse. Ne desint exempla, Soph. El. vs. 150 sq.

ἰὼ παντλᾶμον Νιόβα. σὲ δ' ἔγωγε νέμω θεόν,
ἅτ' ἐν τάφῳ πετραίῳ
αἰαῖ δακρύεις,

siquidem ἅτε tolerari nequit, propono

ἅ'ν τάφῳ πετραίῳ
αἰαῖ δακρύεις.

quod enim in stropha ἐᾶτε μ' ὧδ' ἀλύειν exstat, non video quid prohibeat quominus ἐᾶτε in synizesi pronuntiemus, ut factum est Trach. 1005[2]. Tenes igitur vitium e genere eorum, quale Meinekius ex Hecuba Euripidea expulit, cum v. 80 ἄγκυρά τ' ἐμῶν in ἄγκυρ' ἀμῶν mutaret, et Kirchhoffius e Bacch. versu 1257, cum pro σοί τ' ἐστιν reponeret σοὐστίν[3]. Hoc autem illud est cur Nauckius, dum in ceteris Hartungium secutus rectius interpungendo versum Cycl. 145 persanat, tamen edere debuerit: ὅδ' ἁ σ κ ό ς, ὅς κεύθει νιν. εἰσορᾷς, γέρον; quoniam ratio postulat ut inter ὅδ' ἀσκός et ὅδ' ἁσκός idem discrimen fiat, quod est inter ὅδ' ἀνήρ 'hic homo' et ὅδ' ἁνήρ 'ecce homo'. Conclamatus est eiusdem Cyclopis v. 288

μὴ τλῇς πρὸς ἄντρα σοὺς ἀφιγμένους ξένους | κτανεῖν

sed neque cum Heimsoethio πρὸς ἄντρα in πρὸς οἴκους emendare placet neque aut Hermanni commentum πρὸς ἄντρα τὰ σά γ' aut Hartungi πρὸς ἄντρα σὰ τάδ' aut Weckleini πρὸς ἄντρα σοῦ γ' aut F. G. Schmidti πρὸς ἄντρα σ' εἰσαφιγμένους mihi adridet; nam si quid video ne litterula quidem commutata verum recuperatur: μὴ τλῇς πρὸς ἄντρα σοὐσαφιγμένους ξένους |

[1] Hanc coniecturam temere a me prolatam esse nunc intellego. καὐτοῦ μὲν suasit Usener.

[2] cf. Baier p. 45.

[3] cf. Aeschyl. Prom. 1070, ubi ἅτ' ἐγώ M, ἁγώ recte Porsonus.

κτανεῖν i. e. σοὶ ἐσαφιγμένους. Eadem lege σοί ἐστιν in σοὔστίν et μοί ἐστιν in μοὔστίν coeunt. Ceterum εἰσαφικνεῖσθαι vocabulum ab Euripide Androm. v. 13 et Troad. v. 490 usurpatum est.

Subicio Cyclopis versus 336 sq., ut in libris scripti exstant:

ὡς τοῦ πιεῖν γε καὶ φαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν
Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσιν.

Quo loco Reiskius certa emendatione τοὐμπιεῖν revocavit; vereor autem ne dicendi aequabilitas postulet ut item καὶ φαγεῖν in κἀμφαγεῖν mutemus. Sed ne craseos vitia in sola Cyclope investigasse videar, praesto est versus Hecubae 1215

ἀλλ' ἡνίχ' ἡμεῖς οὐκέτ' ἐσμὲν ἐν φάει
καπνῷ δ' ἐσήμην' ἄστυ πολεμίων ὕπο —

Latere suspicabar: κἀπώλεθ' [1] ἡμῖν ἄστυ πολεμίων ὕπο. Restat ut, quomodo versus, a quo exorsus sum, corrigendus esse mihi videatur, in fine huius disputationis indicem:

κἀκ τοῦ Μενέλεων οὔτις εἶδ' ἀφιγμένον;

Fac poetae ἐκ τοῦ et ἐκ τοῦδε pariter acceptum fuisse: ne tum quidem elegantiae gratia non dederit quod ego proposui.

Postquam Menelaus nullum adhuc indicium sibi apparuisse declaravit, quo usus certo atque indubie uxorem agnosceret, illa ut accurate se aspiciat, hortatur Hel. v. 578:

σκέψαι· τί σου δεῖ τίς ἔστι σου σοφώτερος.

Adscripsi versum, ut in codice Laurentiano exaratus est, aperte corruptum et quem multi multis modis emendare conati sint nec tamen emendasse videantur. Nempe is versus ratione admodum simplici in ordinem redigi potest, nulla littera mutata, una, quae prono errore irrepsit, eiecta:

σκέψαι· τίς, οὗ (i. e. ubi) δεῖ, τίς ἔτι σοῦ σοφώτερος [2]:

[1] ut hic Λ et Δ, ita Λ et Α confusas sumo Soph. O. C. 1028, si quidem scribendum: κοὐκ ἀλαὸν (ἄλλον ll.) ἕξεις εἰς τάδ'. Caeco Oedipodi bene oculatum Theseus sese opponit, et vide quae sequantur:

ὥς ἔξοιδά σε
οὐ ψιλὸν οὐδ' ἄσκευον εἰς τοσήνδ' ὕβριν
ἥκοντα τόλμης τῆς παρεστώσης τὰ νῦν,
ἀλλ' ἔσθ' ὅτῳ σὺ πιστὸς ὢν ἔδρας τάδε·
ἃ δεῖ μ' ἀθρῆσαι — —

[2] Plane eadem ratione Phoen. vs. 825 restituerim: διδύμων ποτάμων πόρον ἀμφὶ μέσον, | Δίρκα (Δίρκας ll.) χλοεροτρόφον ᾇ (= ᾗ ubi, ἃ A) πεδίον | πρόπαρ Ἰσμηνοῦ καταδεύει.

Coniugem ingeniosum admirantis exclamatio est. Ac primum quidem, ne de ἔτι multus sim, adeas Soph. O. R. v. 815, ubi e Laurentiani testimonio hoc: τίς τοῦδέ γ' ἀνδρὸς νῦν ἔστ' ἀθλιώτερος verissime Dindorfius τίς τοῦδέ γ' ἀνδρὸς νῦν ἔτ' ἀθλιώτερος elicuit. Deinde, ut statim proximum exemplum adferam, duplex interrogativum redit Hel. 336: τίν' ἄρα τάλαινα τίνα δακρυόεντα λόγον ἀκούσομαι; neque, ut alia omittam, non vides Eur. Suppl. 1048

τέκνον. τίς αὔρα; τίς στόλος; τίνος χάριν
δόμων ὑπερβᾶσ' ἦλθες εἰς τήνδε χθόνα;

ultro offerri coniecturam hanc:

τέκνον· τίς, αὔδα, τίς στόλος; —

Sic enim αὔδα, αὔδησον ctt. haud raro interrogationibus adhaerent; conf. exempli causa Hel. 680 Phoen. 124. Sed erit fortasse qui librorum scripturam mihi quidem nec mihi soli perobscuram explanare sciat, quamquam is caveat oportet ne aut cum Marklando αὔραν ventum, qui Euadnen illuc advexerat, dicat aut anhelitum cum Burmanno ad Properti eleg. I 16, 32. Ceterum occasione data paucos quosdem tragicorum locos attingam quos emendatione leniore quam quae nunc viris doctis probatur, adhibita in pristinum nitorem restitui posse confidam. Ordior a Soph. Aiac. v. 496 sq., quos versus Nauckius in ultima editione hunc in modum constituit:

ᾗ (Both.: εἰ Laur. ἣν apogr.) γὰρ θάνῃς σὺ καὶ τελευτήσας
ἀπῇς (sic F. G. Schmidt.: ἀφῇς ll.)
ταύτῃ νόμιζε κἀμὲ τῇ τόθ' ἡμέρᾳ —
ξὺν παιδὶ τῷ σῷ δουλίαν ἕξειν τροφήν.

Habet autem Laurentianus καὶ τελευτήσῃς (correctum ex τελευτήσεις) ἀφῇς, unde Sophocli reddas: ᾗ γὰρ θάνῃς σὺ καὶ τελευτήσῃς, ἃ φῄς, 'quo die tu mortuus eris et perfeceris[1], quae minaris'. Nimirum Aiax ipsum se sibi vim inlaturum esse antea professus erat, ambagibus sane verborum usus, sed ita aperte ut, quid animo agitaret, neque chorum neque Tecmessam fugeret. Quodsi ne uxor quidem rem inhonestam vero nomine appellat[2], id et pudori mulieris et veterum superstitioni tribuemus.

Sequantur Eur. Iph. Taur. 812 ctt.:

---

[1] et eo quidem sensu τελευτᾶν a Sophocle multo saepius usurpatur, quam altero moriendi.

[2] cf. scholion.

ΟΡ. Ἀτρέως Θυέστου τ' οἶσθα γενομένην ἔριν;
ΙΦ. ἤκουσα, χρυσῆς ἀρνὸς ἡνίκ' ἦν πέρι.

Ultimum versum cum labe infectum vocassent iudices integerrimi Marklandi, Porsoni, nunc omnia recte stare Schoenius evicit Troad. v. 69 sq. collatis:

ΑΘ. οὐκ οἶσθ' ὑβρισθεῖσάν με καὶ ναοὺς ἐμούς;
ΠΟ. οἶδ', ἡνίκ' Αἴας εἷλκε Κασάνδραν βίᾳ.

Verum enim vero rectissime quidem dicitur: 'Scio te contumelia esse adfectam, cum Aiax Casandram raperet', quoniam diversis orationis membris diversa enuntiantur; at minime recte: 'Audivi Atrei et Thyestis rixam exstitisse — id enim supplendum est — cum de aureo ariete (rixa) esset'. Hoc est bis idem dicere; immo haec insanientis verba. Nam fieri nequit, quod est. Quocirca iure Porsoni iudicium amplecti mihi videor, nisi quod una littera transposita versum sanari crediderim:

ἤκουσα· χρυσῆς ἀρνὸς ἦν νείκη πέρι.

Iam, opinor, intelleges cur Orestes quaerere pergat:

ταῦτ' (scil. τὰ νείκη) οὖν ὑφήνασ' οἶσθ' ἐν εὐπήνοις ὑφαῖς;

Quod ι in ει abire iussi, nemo doctus morabitur; quae litterulae ut perpetuo confunderentur nec non ει et η, ι et η, posterorum elocutio effecit. Soph. Ai. 946 cum e codicibus edatur

ὤμοι ἀναλγήτων
διссῶν ἐθρόησας ἄναυδ'
ἔργ' Ἀτρειδᾶν τῷδ' ἄχει,

non ego sum tam sapiens qui quomodo esse possit intellegam, ut ἄχει, animi affectu, mala facinora pronuntientur. Idcirco temptavi:

ὤμοι ἀναλγήτων
δισσῶν ἐθρόησας ἄναυδ'
ἔργ' Ἀτρειδᾶν, τῷδ' (praesenti Eurysaci[1]) ἄχη.

τῷδε librarium in errorem abduxit. Sed comparare licet Eur. Phoen. v. 1043 sq. χρόνῳ δ' ἔβα — Οἰδίπους ὁ τλάμων — τότ' ἀσμένοις, πάλιν δ' ἄχη, multo audacius dictum, quo loco munitus Wilamovitzius Eur. Herc. fur. 1422:

ἀλλ' εἰσκόμιζε τέκνα, πατρὶ δυσκόμιστ' ἄχη

restituit, libris δυσκόμιστα γῆ suppeditantibus. Unde etiam facilius sit:

ἀλλ' εἰσκόμιζε τέκνα, πατρὶ δυσκόμιστ' ἄγη.

---

[1] cf. verba, quae praecedunt. Sunt Tecmessae: οἴμοι, τέκνον, πρὸς οἷα δουλείας ζυγὰ χωροῦμεν.

Namque et liberi a patre crudeliter occisi recte ἄγη πατρός audiunt nec minus recte haec macula difficilis ad tolerandum vocatur.

Agmen claudat tragicorum princeps Aeschylus, cuius in Agamemnone versum 354 plerique post Stanleyum hoc modo constituunt:

Διὸς πλαγὰν ἔχουσιν εἰπεῖν.

Etenim cum in Marciano:

Διὸς πλαγὰν ἔχουσαν εἰπεῖν

ex mira corruptela repertum esset, fortasse consulto homines docti cavere ne proponerent proximum illud quidem, quod iam propono:

Διὸς πλαγὰν ἔχουσ' ἀνειπεῖν

'Cladis a Iove acceptae possunt esse praecones'. Quid enim? Troes per totum orbem terrarum dispersi nonne re vera cladis suae detestabilis praecones exstiterunt?

Quod exstat Hercul. 585 sq.

πρὸς σοῦ μέν, ὦ παῖ, τοῖς φίλοις εἶναι φίλον
τά τ' ἐχθρὰ μισεῖν,

id rectius sese habebit, si τέ (τ') post φίλοις inserueris. Videtur enim hoc ab Euripide esse observatum ut, cum duo enuntiata iungeret aliquo modo inter se opposita, ad ea conectenda aut rarissime aut numquam nudam τέ particulam adhiberet, sed plerumque δέ sive μέν—δέ usurparet, aliis locis haud paucis τέ—τέ (καί). Atque illud mitto tamquam omnibus satis notum, hoc quomodo accipiendum sit, exemplis maxime insignibus adlatis indicabo. Est enim

Heracl. 1044 ὑμᾶς τ' ὀνήσω τούσδε τε βλάψω θανών.
Suppl. 555 γνόντας οὖν χρεὼν τάδε
ἀδικουμένους τε μέτρια μὴ θυμῷ φέρειν
ἀδικεῖν τε τοιαῦθ' οἷα μὴ βλάψαι πόλιν.
Iph. Aul. 920 ἐπίσταται δὲ τοῖς κακοῖσί τ' ἀσχαλᾶν
μετρίως τε χαίρειν τοῖσιν ἐξωγκωμένοις.
Med. 565 σοί τε γὰρ παίδων τί δεῖ,
ἐμοί τε λύει τοῖσι μέλλουσιν τέκνοις
τὰ ζῶντ' ὀνῆσαι.
Orest. 201 σύ τε γὰρ ἐν νεκροῖς, τό τ' ἐμὸν οἴχεται
βίου τὸ πλέον μέρος.

Confer Alc. 142; Androm. 203, 385, 1222, 1279; Bacch. 328, 335, 770; Hecub. 855; Helen. 157, 732, 770, 998; Electr. 929;

Heracl. 72, 153, 333, 605, 784; Suppl. 179, 306, 727, 738, 1157; Hippol. 289, 451, 927, 1019; Iph. Aul. 35, 1020, 1160; Iph. Taur. 729, 991, 994, 1017; Ion. 72, 257, 570, 573, 1567; Med. 474, 743, 953, 1107; Or. 1158; Troad. 487; Phoen. 459, 891, 1203; fr. Antiop. 194; fr. Dict. 340; fr. In. 405; fr. Hypsip. 757_3; fr. inc. 889_7, 927.

Huius autem generis enuntiatorum proprium videtur τέ in priore membro, δέ in secundo collocatum, quam sententiam haec exempla confirmant:

Alc. 197 καὶ κατθανών τ' ἂν ὤλετ', ἐκφυγὼν δ' ἔχει
τοσοῦτον ἄλγος, οὔποθ' οὗ λελήσεται.

Andr. 1184 οὗτός τ' ἂν ὡς ἐκ τῶνδ' ἐτιμᾶτ' ἄν, γέρον,
θανών, τὸ σὸν δ' ἦν ὧδ' ἂν εὐτυχέστερον,

ubi ὡς ἐκ τῶνδ' sollicitandum non erat: vide Soph. Ai. v. 537 τί δῆτ' ἂν ὡς ἐκ τῶνδ' ἂν ὠφελοῖμί σε [1];

Suppl. 552 πρός τε γὰρ τοῦ δυστυχοῦς,
ὡς εὐτυχήσῃ. τίμιος γεραίρεται,
ὁ δ' ὄλβιός νιν πνεῦμα δειμαίνων λιπεῖν
ὑψηλὸν αἴρει.

Suppl. 523; Iph. Taur. 697, 1413; Med. 441, 1250; Or. 292; Phoen. 1625; fr. Meleagr. 526_4.

Eam igitur quasi certam quandam normam adsecuti Hecub. 848 haud dubitanter

φίλους τιθέντες τούς τε πολεμιωτάτους
ἐχθρούς τε τοὺς πρὶν εὐμενεῖς ποιούμενοι

proponimus, cum in codicibus τούς γε πολεμιωτάτους exaratum sit. De collocatione particulae consulas Androm. 203

φιλοῦσι γάρ μ' Ἕλληνες Ἕκτορός τ' ἄπο,
αὐτή τ' ἀμαυρὰ κοὐ τύραννος ἦ Φρυγῶν.

et Suppl. 738. Porro Androm. 925 sq.

ὡς δοκοῦσί γε
δόμοι γ' ἐλαύνειν φθέγμ' ἔχοντες οἵδε με
μισεῖ τε γαῖα Φθιάς

a Mathiaeo δόμοι τ' ἐλαύνειν revocatum est et recte quidem vel ideo, quia γέ brevi spatio interiecto repetitum elegantiae sermonis repugnat. Ibidem versus 579 si omnino huc pertinet, optime correctus est ab Heimsoethio [2]:

---

[1] Thucyd. II, 3, 4: ἐπεὶ δὲ ὡς ἐκ τῶν δυνατῶν ἑτοῖμα ἦν etc. Male ὡς delent Isaei III, 19.

[2] Kritische Studien 1, 92.

ἐγὼ δ' ἀπαυδῶ τἄλλα τ' (γ' ἄλλος ll.) οὐχ ἥσσων σέθεν
καὶ τῆσδε πολλῷ κυριώτερος γεγώς.

At haerebis Androm. 585:

οὔκουν ἐκείνου τἀμὰ τἀκείνου τ' ἐμά;

Ubi τἀμά ex θ' ἁμά (ἃ ἐμά) originem duxisse possis suspicari[1]. Saepe quidem τ et θ confunduntur, quo e genere unum praeterea testimonium adferam Iph. Aul. 657:

θέλω γε·[2] τὸ θέλειν δ' οὐκ ἔχων ἀλγύνομαι.

Vix enim dubito quin olim fuerit:

θέλω γε· τὸ τελεῖν δ' οὐκ ἔχων ἀλγύνομαι.

Relinquitur unicus Medeae versus 1353:

Ζεὺς ἠπίστατο
οἷ' ἐξ ἐμοῦ πέπονθας οἷά τ' εἰργάσω,

cui loco οἷα δ' εἰργάσω reddendum esse Elmsleyus vidit, alia sane ratiuncula ductus. Scilicet in repetitione verborum[3] nusquam δέ non apparere[4] intellexerat, qua observatione nihil est verius neque, si omnia ille exempla adponere noluit — sunt enim innumera —, id editores movere debuit, ut certissimam emendationem respuerent.

Minime vero cum regula a nobis constituta pugnant Ionis versus 1601 sq.:

νῦν οὖν σιώπα, παῖς ὅδ' ὡς πέφυκε σός,
ἵν' ἡ δόκησις Ξοῦθον ἡδέως ἔχῃ,
σύ τ' αὖ τὰ σαυτῆς ἀγάθ' ἔχουσ' ἴῃς, γύναι.

quoniam ad oppositionem indicandam τ' αὖ multo plus valere, quam simplex τέ consentaneum est. Velut exstat Phoen. 452 sq.

ἐπίσχες· οὔτοι τὸ τάχυ τὴν δίκην ἔχει, — —
457 σύ τ' αὖ πρόσωπον πρὸς κασίγνητον στρέφε,
Πολύνεικες·

Nec denique obstant Troadum versus 655 sq.:

---

[1] Non nimis eleganter tria deinceps vocabula a τ incipiunt.

[2] γέ recte stat neque cum sequenti δέ iungendumst. 'Ich will ja'.

[3] Eur. Electr. 675 ΟΡ. νίκην δὸς ἡμῖν, εἰ δίκαι' αἰτούμεθα.
ΗΛ. δὸς δῆτα πατρὸς τοῖσδε τιμωρὸν δίκην.
falsissimum esse δὸς — δίκην Weilius demonstravit; at idem non agnovit repetitionem verborum: νίκην δὸς — δὸς δῆτα, unde efficitur, ut ad δὸς δῆτα supplendum sit νίκην et totus locus sic fere exhibendus: δὸς δῆτα πατρὸς τοῖσδε τιμωροῖς δίκῃ. cf. quae scribemus p. 35. Ceterum τιμωροῖς iam Weilius invenit. An τοῖνδε τιμωροῖν?

[4] hanc legem a bonis scriptoribus omnibus observatam invenies.

ᾔδειν δ' ἁμὲ χρῆν νικᾶν πόσιν
κείνῳ τε νίκην, ὧν ἐχρῆν, παριέναι,

qui propter constructionem eversam huc nequaquam erunt trahendi. Contra quantum auctoritatis lex illa possederit, versibus Iph. Taur. 373 sq. evincitur hisce:

ἀδελφόν τ' οὐκ ἀνειλόμην χεροῖν,
ὃς νῦν ὄλωλεν, οὐ κασιγνήτῃ στόμα
συνῆψ' ὑπ' αἰδοῦς,

in quibus τέ positum in priore membro, in postero metri necessitate oppressum est.

De ea igitur re postquam peroratum est, alteram de duplici καί particula expositionem subicere iuvat ab Euripide haud frequentata, ut intelleges, si quoties τέ—τέ, τέ—καί occurrant attenderis. Nam segregatis quinque Alcestidis exemplis in nulla fabula καί—καί saepius quam quater, in plurimis autem ne ter quidem invenitur, in canticis et anapaesticis vix locum habet. Quare cum non nimius exemplorum sit numerus, singula in ordinem redacta proponam, e quibus si quid efficietur, id eo facilius omnibus patebit:

Alc. 141 καὶ ζῶσαν εἰπεῖν καὶ θανοῦσαν ἔστι σοι
Heracl. 320 ἐγὼ δὲ καὶ ζῶν καὶ θανὼν etc.
Heracl. 599 τιμιωτάτη | καὶ ζῶσ' ὑφ' ἡμῶν καὶ θανοῦσ' ἔσει πολύ.
Or. 307 οὐκ ἔστι· σὺν σοὶ καὶ θανεῖν αἱρήσομαι | καὶ ζῆν
fr. 847 καὶ ζῶν καὶ θανὼν
Androm. 244 κἀκεῖ τά γ' αἰσχρὰ κἀνθάδ' αἰσχύνην ἔχει
Iph. T. 568 ἔστ', ἄθλιός γε, κοὐδαμοῦ καὶ πανταχοῦ
Ion. 384 κἀκεῖ κἀνθάδ'
Alc. 661 χάριν | τοιάνδε καὶ σὺ χἠ τεκοῦσ' ἠλλαξάτην.
Hercul. 954 ἀλλ' ἐξ ἁπάσης κἀμὲ καὶ τέκν' Ἑλλάδος | ἤλαυνες
Suppl. 1181 χαῖρ'· ἄξιος γὰρ καὶ σὺ καὶ πόλις σέθεν.
Hippol. 662 πῶς νιν προσόψει καὶ σὺ καὶ δέσποινα σή.
Hippol. 693 ὄλοιο καὶ σὺ χὤστις ἄκοντας φίλους —
Iph. Aul. 849 ἴσως ἐκερτόμησε κἀμὲ καὶ σέ τις
Iph. Aul. 886 — καὶ σὺ καὶ μήτηρ σέθεν.
Iph. T. 1074 ὄλωλα κἀγὼ καὶ κασίγνητος
Ion. 1405 ἀνθέξομαι | καὶ τῆσδε καὶ σοῦ
Cycl. 466 κἄπειτα καὶ σὲ καὶ φίλους
Or. 1677 ὄναιο καὶ σὺ χὠ διδοὺς ἐγὼ
fr. 651 πέπονθεν οἷα καὶ σὲ καὶ πάντας μένει.

Bacch. 439 γελῶν δὲ καὶ δεῖν κἀπάγειν ἐφίετο.
Ion. 1513 καὶ δυστυχῆσαι καὖθις αὖ πρᾶξαι καλῶς.
Or. 525 ὃ καὶ[1] γῆν καὶ πόλεις ὄλλυσ' ἀεί.
Phoen. 495 ἀλλὰ καὶ σοφοῖς | καὶ τοῖσι φαύλοις ἔνδιχ'
fr. 729 εἰκὸς δὲ παντὶ καὶ λόγῳ καὶ μηχανῇ
fr. 1048_3 καὶ τοῦ δικαίου καὶ τόκων τῶν σῶν χάριν
Hecab. 751 τολμᾶν ἀνάγκη, κἂν τύχω κἂν μὴ τύχω
Iph. Aul. 1271 — κἂν θέλω κἂν μὴ θέλω
Troad. 647 — κἂν προσῇ κἂν μὴ προσῇ
Troad. 915 κἂν εὖ κἂν κακῶς δόξω λέγειν.
Alc. 329 καὶ ζῶσαν εἶχον καὶ θανοῦσ' ἐμὴ γυνὴ | μόνη κεκλήσει
Hercul. 91 καὶ τῷδε χαίρω καὶ φιλῶ τὰς ἐλπίδας
Hippol. 85 σοὶ καὶ ξύνειμι καὶ λόγοις σ' ἀμείβομαι.
Iph. T. 1009 καὶ ζῆν θέλοιμ' ἂν καὶ θανὼν λαχεῖν ἴσον
Med. 777 ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταῦτα καὶ καλῶς ἔχει
fr. 362 ἃ καὶ μάχοιτο καὶ μετ' ἀνδράσιν πρέποι
fr. 367 καὶ δεῖ γὰρ αὐτῆς κἄστιν αὖ κακὸν μέγα[2].
fr. 901_{11} σοὶ δ' ἔγωγε καὶ νοσοῦντι συννοσοῦσ' ἀνέξομαι
καὶ κακῶν τῶν σῶν ξυνοίσω.

In anapaestis:
Alc. 278 ἐν σοὶ δ' ἐσμὲν καὶ ζῆν καὶ μή.
Med. 1409 τάδε καὶ θρηνῶ κἀπιθεάζω
fr. 910 πρὸς ταῦτ', ὅ, τι χρῇ, καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω

In canticis:
Alc. 278 ἐγὼ καὶ διὰ μούσας | καὶ μετάρσιος ᾖξα
Androm. 791 πείθομαι καὶ σὺν Λαπίθαισί σε Κενταύροις
ὁμιλῆσαι — —
καὶ ἐπ' Ἀργῴου δορὸς — ἐκπερᾶσαι
Suppl. 1079 καὶ σὺ καὶ πόλις ἐμὰ τλάμων
Troad. 175 καὶ ζῶντες καὶ δμαθέντες
Phoen. 266 κἀκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο
Phoen. 313 καὶ χερσὶ καὶ λόγοισι
fr. 79 γυναῖκα καὶ ὠφελίαν
καὶ νόσον ἀνδρὶ φέρειν.
fr. 775_{39} ἐμὲ καὶ τὸ δίκαιον ἄγει καὶ ἔρως.

Primum igitur apparet particula geminata plerumque ab Euripide

[1] καὶ fort. = 'etiam'. [2] dubium.

singulas voces artius esse copulatas, atque ita ut dictio vel eadem vel persimilis locis compluribus redeat; multo rarius totae enuntiationes neque eae longiores duplici καί inter se iunctae occurrunt, praesertim cum quattuor illa exempla exceperis, ubi κἄν—κἄν in enuntiato secundario usurpatur. Porro, id quod cum arte iamborum Euripidea optime convenit, poeta, dum singula verba vel enuntiata duo brevia hoc modo complectitur, id videtur egisse, ut uno trimetro geminatio contineretur, cuius legis, nisi fallor, bis tantum tragicus immemor fuit in fabulis recentissimis; neutra vero exceptio defendi nequit, quoniam in versibus e Phoen. fabula adlatis (495) alterum καί cum suo vocabulo clausulam senarii occupat, alterum in capite eius, qui sequitur, positum est, ut uno tenore oratio procedat, in Oreste autem (307) locutio redit tritissima καὶ θανεῖν—καὶ ζῆν, unde κατθανεῖν, quod in bono codice invenitur, commendare nolim. Verum erunt fortasse qui Medeae versus 1358 sq. oppressisse me insimulent:

πρὸς ταῦτα καὶ λέαιναν, εἰ βούλει, κάλει,
καὶ Σκύλλαν, ἣ Τυρσηνὸν ᾤκησεν πέδον.

Est ita; consulto versus illos omisi, quia prius καί cum forti exaggeratione enuntiatum esse arbitrabar, quam opinionem neque probis argumentis destitui videbam neque alia editorum, si bene aestimo, plerorumque sententia [1]. Sed ut in viam revertar, tertium ab Euripide, ubi καί duplicavit, id cautum esse elucet, ne particula utraque ab eo vocabulo, quo pertinet, umquam divelleretur; qui poeta id quoque egit, ut, si fieri posset, sine ullo intervallo verba duplici καί coniuncta sese exciperent. Denique nusquam synonyma καί—καί conectit, sed diversa: vivere et mori, parentes et liberos, sapientes et indoctos, singulos et universos, alia.

Iam adeas velim Electr. 610 sq.

ἐν χειρὶ τῇ σῇ πάντ' ἔχεις καὶ τῇ τύχῃ
πατρῷον οἶκον καὶ πόλιν λαβεῖν σέθεν,

quos nemo adhuc, quod sciam, sollicitavit. Sed καὶ τῇ τύχῃ tamquam ea figura, quam ἓν διὰ δυοῖν vocant, ad ἐν χειρὶ τῇ σῇ verba trahere aperte vetamur, postquam dis propitiis Phoen. versus 1430 σὺν παρθένῳ τε καὶ προθυμίᾳ ποδός ex Euripide expulsus est, neque omnino Graecum hominem dixisse existimo:

---

[1] Eadem res est Ion. 850 sq.

ἔχω τι ἐν τῇ τύχῃ. Itaque fieri nequit quin alterum καί alteri, quod in proximo versu est, respondere iudicemus, quo facto locus ille pugnat cum omnibus fere, quas investigavimus, regulis. Ac ne dativum τῇ τύχῃ morer collocatione sua immodice elatum auribusque inculcatum, inprimis hoc me turbat, quod καί ab iis, quo pertinet (πατρῷον οἶκον), non vocabulo, sed versu separatur; quae licentia, Sophocli fortasse ignoscenda, in Euripidis trimetris ferenda non est [1]. Quam ob rem iusta fuerit suspicio olim in membranis exstitisse:

ἐν χειρὶ τῇ σῇ πάντ' ἔχεις καινῇ τύχῃ
πατρῷον οἶκον καὶ πόλιν λαβεῖν σέθεν.

Nam καινός interdum etiam ‚inexspectatus' significat.

Suppl. 248

χαίρων ἴθ'· εἰ γὰρ μὴ βεβούλευσαι καλῶς,
αὐτὸς πιέζειν τὴν τύχην ἡμᾶς λίαν.

posteaquam δ' ἐᾶν in λίαν delitescere Nauckius sagaciter perspexit, unum supererat, ut pro πιέζειν aliquid, quod sententiae magis idoneum esset, reperiretur; quo in studio etsi sat multi iam desudarunt, equidem nescio quid et propria sua significatione aptius et propter similitudinem scripturae probabilius sit quam quod commendo: τριάζειν, de quo adeas Etymol. Magn. 765, 37: τριάσσειν τὸ νικᾶν· ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν παλαιστῶν ἐν ταῖς τρισὶ πάλαις τὴν νίκην καρπουμένων· καὶ ἀτρίακτος (cf. ἀτρίακτος ἄτα Aeschyl. Choeph. 330) ὁ ἀήττητος. Quodsi Graecis poetisque et prosaicis sine offensa παλαίειν τύχῃ, ἄταις, συμφοραῖς ctt. dicere licuit, quidni eodem iure τριάζειν τὴν τύχην? Indidem Aeschyleum ἀτρίακτος ἄτα explicari non vides? Veram autem elocutionem fuisse τριάζειν, non τριάσσειν composita docent: πεντετριάζεσθαι Lucill. Epigr. Anthol. Pal. II 84 et ἀποτριάζεσθαι Schol. Aeschyl. Choeph. 330 [2]. Nisi potius utraque forma in usu fuit, ut Graeci promiscue θοάζειν et θοάσσειν, λαπάζειν et λαπάσσειν, σταλάζειν et σταλάσσειν al. pronuntiaverunt. Iam quod imperativi vice infinitivus fungitur, comparandi sunt v. Heracl. 314 καὶ μήποτ' εἰς γῆν ἐχθρὸν αἴρεσθαι δόρυ,
Ion. 101 στόμα τ' εὔφημον φρουρεῖτ' ἀγαθόν,
φήμας τ' ἀγαθὰς —
γλώσσης ἰδίας ἄπο φαίνειν.

[1] Ultimus de hac re scripsit Wilamovitzius Hercul. II p. 106.
[2] cf. Wecklein. ad Aeschyl. Agam. 181.

ubi in verbis constituendis Klinkenbergium[1] sequor, cum ἀποφαίνειν libri exhibeant. Nam quod γλώσσης δίας ἀποφαίνειν speciose Weckleinius coniecit, tale quid optare Ion potest, imperare non potest, aut dei ipsius rectorem sese praebuisset. De significatione autem, quam ἴδιος vocabulum obtinet, non habeo quem melius conferam Callimacho in epigr. LVI Wilamov.

Φησίν ὅ με στήσας Εὐαίνετος (οὐ γὰρ ἔγωγε
γιγνώσκω) νίκης ἀντί με τῆς ἰδίης[2]
ἀγκεῖσθαι χαλκεῖον ἀλέκτορα Τυνδαρίδησι.

Porro infinitivus pro imperativo apud Euripidem est Troad. 421

σὺ δ', ἡνίκ' ἄν σε Λαρτίου χρῄζῃ τόκος | ἄγειν, ἕπεσθαι

et fortasse fr. 536: τοὺς ζῶντας εὖ δρᾶν. Denique non dubito quin Ion. v. 1396 cum libris σιγᾶν σύ· edendum sit abiecta Dindorfi coniectura σίγα σύ. Nam proprium quidem Euripidis est simplex σίγα, veluti Alc. 703, Hecub. 1070, Or. 1103, Phoen. 925, alibi; fortius erit σίγα σύ, omnium tamen, ni fallor, fortissimum ideoque adulescentis indignationi maxime accommodatum quod codices testantur abruptum σιγᾶν σύ.

Quod Blomfieldus ad Aeschyl. Pers. v. 389 ναῶν formam, nisi metro posceretur, ex sermone tragicorum relegandam ideoque in initio trimetrorum ubique νεῶν reponendum esse putavit: ea quaestio fortasse digna est quae redintegretur, postquam de librorum auctoritate aliter iudicare didicimus, atque Blomfieldi aetate fieri solebat. Est autem in Aeschyli Mediceo: Pers. v. 338 ναῶν, δεκὰς δ' ἦν τῶνδε χωρὶς ἔκκριτος, v. 357 ναῶν ἐπενθορόντες ἄλλος ἄλλοτε. v. 381 ναῶν ἄνακτες ctt. v. 453 ναῶν ἔδωκε ctt. v. 478 ναῶν δὲ ταγοί ctt. idemque trimetri principium Sophocl. fr. Naupl. 396 et Eurip. Electr. v. 7. Deinde cum Iphig. T. v. 1485 codices νηῶν τ' ἐρετμά ctt. exhibeant, ab eo testimonio propius ναῶν τ' ἐρετμά abest quam, quod post Boissonadium edunt. νεῶν τ' ἐρετμά, quandoquidem νηός quoque et ναός, νηυσίν et ναυσίν interdum a librariis miscentur. Omnino autem, si quid rerum probabilitati tribuis, insolitum ναῶν facilius corrumpi potuisse quam usu tritum νεῶν libenter concedes, et spondeum in primo pede a tragicis frequentari con-

[1] Euripidea p. 24.

[2] de simili usu in inscriptionibus Atticis inde ab anno 69 a. Chr. n. apparente vide sis Meisterhans. § 37, 4 cum adn. Quem usum in comparationem vocare nolim.

stat. Quare tribus iis locis, quibus νεῶν in exordio trimetri inveni: Aeschyl. Agam. v. 1181, Eur. Hec. v. 540, Helen. v. 875, si quid mutandum [1], ναῶν revocare praestabit. Simili quidem ratione λαός versuum initia perpetuo occupavit; contra cum Ζεύς vocabuli duplici uterentur declinatione Διός, Διί et Ζηνός, Ζηνί, semel est apud Euripidem Orestis v. 1635

Ζηνὸς γὰρ οὖσαν ζῆν νιν ἄφθιτον χρεών,

et ibi quidem consulto propter etymologiam; conf. Platonis Cratyli 396 A οἱ μὲν γὰρ Ζῆνα, οἱ δὲ Δία καλοῦσιν· — — οὐ γὰρ ἔστιν ἡμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν, ὅστις ἐστὶν αἴτιος μᾶλλον τοῦ ζῆν ἢ ὁ ἄρχων τε καὶ βασιλεὺς τῶν πάντων.

Δεσπότης nomen, cum sine certa adiectione positum personam notat, numquam ab Euripide de dis, sed ubicumque exstat — et exstat sescentis locis [2] —, constanti usu de hominibus usurpari animadverterunt. Neque huic observationi officit quod est Hippol. v. 459 sq.

χρῆν σ' ἐπὶ ῥητοῖς ἄρα
πατέρα φυτεύειν ἢ 'πὶ δεσπόταις θεοῖς | ἄλλοισιν,

quippe ubi ipsum deorum nomen additum sit, aut Bacch. versus 582 sq.

ἰὼ ἰὼ δέσποτα δέσποτα.
μόλε νυν ἡμέτερον εἰς
θίασον, ὦ Βρόμιε Βρόμιε,

quoniam re vera alia ratio intercedebat inter Bacchum eiusque servas mulieres (cf. v. 56), ac ceteroqui inter deos hominesque observari solet. Iam nihil est mirabilius quam quod Hippol. v. 88 famulus, dum dominum adulescentem adloquitur, verbis utitur hisce:

ἄναξ· θεοὺς γὰρ δεσπότας καλεῖν χρεών·
ἆρ' ἄν τί μου δέξαιο βουλεύσαντος εὖ;

quae ut nobis traduntur, a tragico profecta non esse iure iurando adfirmaverim, quamquam quid priori versui faciendum sit, fateor me ignorare. Nimirum quae in talibus angustiis proxima et ad-

---

[1] nihil praecipio.

[2] de solo plurali vide haec: Alc. 138, 212, 806, 813; Andr. 61, 132, 142, 391; Bacch. 1033, Hecub. 359, 557, 617, 1237, 1288; Helen. 447, 1629, 1640; Heracl. 678, Suppl. 636, Iph. Aul. 304, 312; Ion. 234, 751, 852, 1043; Cycl. 163; Med. 54, 61, 823; Troad. 577, 664; fragm. 51, 52, 86, 94_3, 315_2, 533, 690, 775_{49}.

modum probata quibusdam medela offertur, ut versus totus exstirpetur, eam, quia ἄναξ compellatio abesse nequit, commendare nolim, vereor autem ne nimia videatur molitus esse Ew. Bruhnius [1], licet, quae proposuit, sagaciter excogitata mirum quantum sensibus blandiantur. Is enim unum versiculum excidisse ratus, reliqua hunc in modum refinxit:

ἄναξ· θεοὺς γὰρ δήποθ' οὓς καλεῖν χρεὼν
⟨ἡγεῖ μόνους εὐχαῖσιν, ἅλις ἐγουνάσω⟩·
ἆρ' ἄν τί μου δέξαιο βουλεύσαντος εὖ;

Hunc igitur locum dum in medio relinquo, ad Ionis versum 755 pergo, ubi Creusa, num dei sortes male ceciderint, a choro sollicita sciscitatur:

ἀλλ' ἦ τι θεσφάτοισι δεσποτῶν νοσῶ;

Tenes, opinor, difficultatem. Quae multiplicatur eo quod duobus trimetris ante eadem mulier de se praedicaverat: οὐκ εἰς ἀπίστους δεσπότας βαλεῖς χαράν. Hinc enim efficitur ut, cum de Apolline deo cogitari omnino usus sermonis non sinat, ne Xuthum quidem maritum respici liceat ponere, quasi θέσφατα δεσποτῶν oracula sint illi data. Quod cum acute perspexisset, G. Hermannus versum, de quo agitur, paedagogo tribuendum esse censuit, qui tamen quid sibi velit in medium Creusae chorique diverbium de improviso inlatus ita non intellegitur, ut nemo post viri clarissimi sententiam probaverit. Quae cum ita sint, in verbis ipsis aliquid emendandum esse mihi persuasi:

ἀλλ' ἦ τι θεσφάτοισι δεσποτῶν νοσεῖ. i. e. ἀλλ' ἦ τι τῶν δεσποτῶν θεσφάτοισι νοσεῖ; vel, ut omnis obscuritas evanescat:

ἀλλ' ἦ τι δεσπόταισι θεσφάτων νοσεῖ;

Haec igitur quam recte coniectata sint, viris doctis iudicanda relinquo; interim de alius substantivi usu singulari pauca adnectere placet. Etenim μήτρως cum plerumque avunculum significet, notione aliquantum deflexa ab Euripide admissum esse arguit locus e prologo Herculis petitus v. 39 sq.

τοὺς Ἡρακλείους παῖδας ἐξελεῖν θέλει,
κτανὼν δάμαρτά θ', ὡς φόνῳ σβέσῃ φόνον.
κἄμ', εἴ τι δὴ χρὴ κἄμ' ἐν ἀνδράσιν λέγειν,
γέροντ' ἀχρεῖον, μή ποθ' οἵδ' ἠνδρωμένοι
μήτρωσιν ἐκπράξωσιν αἵματος δίκην.

---

[1] Lucubratt. Euripid. p. 276.

Sermo videlicet de Lyco est, recenti Thebanorum tyranno, qui Creonte Amphitryone Megara occisis Herculis liberos, ne posthac ultores sibi exsisterent, insuper erat interfecturus. At duo illi senes avi infantium sunt, Megara etiam mater; nihilominus universi μήτρωες audiunt. Iam vide sis quos subicio Medeae versus 1303 sq.

ἐμῶν δὲ παίδων ἦλθον ἐκσῶσαι βίον,
μή μοί τι δράσωσ' οἱ προσήκοντες γένει
μητρῷον ἐκπράσσοντες ἀνόσιον φόνον.

'Caedem ab eorum matre perpetratam' ait Pflugkius; recte quidem; at nisi durissime poetam locutum esse sumes, 'perpetratam a matre propinquorum Creontis (τῶν προσηκόντων γένει)'. An scripsit Euripides:

μή μοί τι δράσωσ' οἱ προσήκοντες γένει,
μήτρωσιν ἐκπράσσοντες ἀνόσιον φόνον?

quae quam lenis sit mutatio, nemo non videt. Hoc quoque notabile est quod simili ratione πενθερός et γαμβρός vocabula tragici confudisse traduntur, qua de re adeas Photii lexic. p. 410, 13 Suidam sub voce πενθερά, Anecdot. Bekkeri p. 229, 1 Etymol. M. p. 2120, 40 cf. Kviçala Stud. I pag. 329.

Pronominis personalis ἐγώ vice apud tragicos ὅδε demonstrativum et nudum et addito substantivo fungi cum communis sententia obtinere videatur, quam recte ea viris doctis probetur, operae pretium erit accuratius inquirere. Certe enim simplex ὅδε pro ἐγώ dictum cum perpaucis tragoediae locis occurrit, tum inter eos nullus est dubitationi non obnoxius. Namque hoc ut statim moneam, segreganda esse patet exempla ita comparata, ut Aeschyl. Choeph. 211

ὅδ' εἰμί· μὴ μάτευ' ἐμοῦ μᾶλλον φίλον,

in quibus cunctis ὅδε non tam pronominis personalis vim exercet[1] — ea enim in prima verbi persona latitat: εἰμί ich bin — quam pro adverbio demonstrativo, ut ita loquar, accipiendum est: hier bin ich. Quo e genere praeter illud non amplius unum testimonium commemorabo Aeschyl. Eum. 349:

σπεύδομεν αἵδ' ἀφελεῖν τινα τάσδε μερίμνας.

Sic enim Medicei σπευδόμεναι δ' a Doederlinio et Kirchhoffio subtiliter correctum est. Fateor autem totum hunc locum me-

---

[1] cf. Kviçala Stud. p. 285 (anni 1879).

lius me esse intellecturum interpunctione paullulum immutata, hunc in modum:

σπεύδομεν αἴδ' ἀφελεῖν τινα τάσδε μερίμνας·
θεῶν δ' (scil. ἔστιν, de quo omisso cf. Eur. Alc. 832),
ἀτέλειαν ἐμαῖσι
λιταῖς ἐπικραίνειν
μηδ' εἰς ἄγκρισιν ἐλθεῖν.

Ultima tum significant: deos (scito τοὺς νεωτέρους θεούς) decet nulla impedimenta consiliis nostris struere, ut scholiasta interpretatur: εὔχομαι (ubi?) τοῖς θεοῖς τελέσαι μου τὸ βούλημα καὶ μὴ εἰς μάχην μοι ἐλθεῖν [1]. Ceterum Sophocl. Ai. versus 116 sq. sine dubitatione sic scribendi erant:

χωρῶ πρὸς ἔργον τοῦτο· σοὶ δ' ἐφίεμαι
τοιάνδ' ἀεί μοι σύμμαχον παρεστάναι.

Cum enim in libris χωρῶ πρὸς ἔργον· τοῦτο σοὶ δ' ἐφίεμαι prono errore traditum sit, Bergkius: χωρῶ πρὸς ἔργον· σοὶ δὲ τοῦτ' ἐφίεμαι, Dindorfius: χωρῶ πρὸς ἔργον· σοὶ δ' ἐφίεμαι, θεά coniecere, Nauckius denique, utcumque ea res se haberet, utique edendum sibi esse putavit: χωρῶ πρὸς ἔργον· [τοῦτο] σοὶ δ' ἐφίεμαι. Vides autem quantum interdum lucremur sola interpunctione mutata. Sed ut redeam ad ea, quae proposita sunt, fit aliquando ut ἐγώ iuxta ὅδε ponatur, id quod numquam accidisset, si alterum alterius significationem occupasset. Conf. Soph. O. R. 968 ἐγὼ δ' ὅδ' ἐνθάδε, Eur. Androm. 501 ἅδ' ἐγώ, Helen. 528 ἥδ'—ἐγώ ctt. Indidem Herodotus I 115 εἰ ὦν δὴ τοῦδε εἵνεκεν ἄξιός τευ κακοῦ εἰμί, ὅδε τοι πάρειμι, at I 108 ὦ βασιλεῦ, οὔτε ἄλλοτέ κω παρεῖδες ἀνδρὶ τῷδε ἄχαρι οὐδέν, Antipho περὶ τοῦ χορευτοῦ § 9 οὐδεὶς πώποτε οἷός τε ἐγένετο — ἐξελέγξαι ἀδικοῦντα τόνδε τὸν ἄνδρα τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον. Neque aliter tragici, quibus vulgo ἀνήρ substantivum addere libuit, ubi ὅδε pronominis casibus obliquis vim personalem inesse voluerunt. Atque Aeschylus quidem omnium rarissume huic usui se addixit, cuius unum mihi innotuerit exemplum Sept. 634

ὡς οὔποτ' ἀνδρὶ τῷδε κηρυκευμάτων | μέμψῃ.

Haud ita parcum Sophocles se praebuit: Aiacis v. 78 τῷδε τἀνδρί, v. 446 [2] ἀνδρὸς τοῦδ' O. R. 534 τοῦδε τἀνδρός, 815 τοῦδέ

---

[1] aliter Wecklein in Orestiae editione Lipsiae 1888. p. 278.

[2] haec exempla Ellendtius in lexico Sophocleo non memoravit.

γ' ἀνδρός, 829 ἐπ' ἀνδρὶ τῷδ', 1018 τοῦδε τἀνδρὸς, 1464 τοῦδ' ἀνδρός, Antig. 1034 [1] ἀνδρὸς τοῦδε, Trach. 1073 τόνδ' ἄνδρα, 1175 [1] τῷδε τἀνδρί, 1201 [1] τοῦδ' ἀνδρός, 1256 τοῦδε τἀνδρός, Philoct. 1036 τὸν ἄνδρα τόνδε, 1375 μετ' ἀνδρὸς τοῦδε, O. C. 1329 τῷδ' ἀνδρί, 1472 [1] τῷδ' ἐπ' ἀνδρί, 1546 [1] ἀνδρὶ τῷδε, 1618 τοῦδε τἀνδρός. Deinde adeas versus Euripideos hosce: Alc. 331 τόνδ' ἄνδρα, 719 ἀνδρὸς τοῦδέ γ', 690 ὑπὲρ τοῦδ' ἀνδρός, 1084 et 1094 ἄνδρα τόνδε, Electr. 43 ἀνὴρ ὅδε — ᾔσχυνεν, Med. 1337 παρ' ἀνδρὶ τῷδε. Idem aliis locis ὅδε cum σῶμα vocabulo ita copulavit, ut coniunctum ἐγώ aequaret: Alc. 636 οὐκ ἦσθ' ἄρ' ὀρθῶς τοῦδε σώματος πατήρ, Heracl. 89

τὸν Ἡράκλειον ἴστε που παραστάτην
Ἰόλαον· οὐ γὰρ σῶμ' ἀκήρυκτον τόδε.

Heracl. 528, Troad. 988, fragm. 789 et Sophoclis O. C. 355 ἃ τοῦδ' ἐχρήσθη σώματος. Hinc latius evagata est licentia, cum et Aeschylus et Sophocles et Euripides non numquam vocabula varia quidem sed certiore notione, quam σῶμα et ἀνήρ, praedita demonstrativo apponerent, velut est

Aeschyl. Eumen. 122 φονεὺς δ' Ὀρέστης τῆσδε μητρὸς οἴχεται [2].
Suppl. 167 σὺν φρονοῦντι δ' ἥκετε | πιστῷ γέροντι τῷδε.
Prometh. 308 δέρκου θέαμα τόνδε τὸν Διὸς φίλον.
Soph. Ai. 902 ὤμοι, κατέπεφνες, ἄναξ,
τόνδε συνναύταν σέθεν.
El. 956 ξὺν τῇδ' ἀδελφῇ,
O. C. 450 ἀλλ' οὔτι μὴ τύχωσι τοῦδε συμμάχου [3].

Eurip. Alc. 1128 ψυχαγωγὸν τόνδ', Androm. 65 τῇ πρόσθ' ἀνάσσῃ τῇδε, Hecub. 202 παῖς ἅδ', 912 τῆς τεκούσης τῆσδε, Electr. 490 γέροντι τῷδε, Phoen. 341 ματρὶ τᾷδε, 1708 τῷδε πατρί.

Quid quod Euripides, maiora ausus, etiam nomen proprium bis pronomini addidit:

Andr. 313 ἧσσον φρονοῦσα τοῦδε Μενέλεω, γύναι,
El. 84 μόνος δ' Ὀρέστην τόνδ' ἐθαύμαζες φίλων,

---

[1] haec exempla Ellendtius in lexico Sophocleo non memoravit.

[2] cf. Platonis Lach. 180 d: ἀλλ' εἴ τι καὶ σύ, ὦ παῖ Σωφρονίσκου, ἔχεις τῷδε τῷ σαυτοῦ δημότῃ ἀγαθὸν συμβουλεῦσαι, χρὴ συμβουλεύειν.

[3] hic sane proximum est συμμάχου pro nomine praedicato habere, sed rene vera ideo abiecta est altera interpretandi ratio tot exemplis commendata: 'Sie sollen nie dieses Bundesgenossen teilhaftig werden'?

quos versus nescio an iniuria Kviçala suspectaverit [1]. Sophocles vero participium substantivi loco positum in illa circumlocutione adhibuit

Trach. 1013 καὶ νῦν ἐπὶ τῷδε νοσοῦντι
οὐ πῦρ οὐκ ἔγχος τις ὀνήσιμον οὐκ ἐπιτρέψει;

Nec postremo tacebo pluralem in simili dictione usurpatum, si quidem versum Electrae Euripideae 676 in adnotatione paginae 24 subiecta recte sic emendandum esse contendimus: δὸς δῆτα πατρὸς τοῖσδε τιμωροῖς δίκη [2].

Relincuntur perpauca illa exempla, in quibus ὅδε sine adiectione positum notionem ἐγώ pronominis vel explet vel explere existimatur. Quae singillatim recensiturus initium facio a versibus Eur. Troad. difficillimis 940 sq.

ἦλθ' οὐχὶ μικρὰν θεὸν ἔχων αὑτοῦ μέτα
ὁ τῆσδ' ἀλάστωρ, εἴτ' Ἀλέξανδρον θέλεις
ὀνόματι προσφωνεῖν νιν εἴτε καὶ Πάριν,

quibus de versibus ab Helena pronuntiatis exstat amplissima Nauckii disputatio in Studiorum Euripidiorum volumine II inde a p. 150. Ibi postquam ultima εἴτ' Ἀλέξανδρον — Πάριν inanissimo verborum tinnitu laborare et omni acumine carere demonstravit, ut vitio medeatur, audaciorem hercle coniecturam vir doctissimus proponit hanc:

ὁ τῆσδ' ἀπάκτωρ, εἴτ' Ἀλέξανδρον θέλεις
ὀνόματι προσφωνεῖν νιν εἴτ' ἀλάστορα.

Ego vero aliter de isto loco sentire me profiteor neque mihi videri eum adeo desperatum, ut visus est Nauckio. Nam, quae prima et ultima ratio est, ὁ τῆσδ' intellego ‘filius huiusce’ scilicet Hecubae adstantis, quam digito Helena monstrat: tum ante ἀλάστωρ interpunctionis signum ponamus necesse est:

---

[1] Paullulum alia res est Hel. 1168 Θεοκλύμενος παῖς ὅδε προσεννέπω, El. 1240, Iph. T. 1436, Or. 1626, Phoen. 1758. Tum nota universum hoc, de quo egi, dicendi genus ab Euripide potissimum in antiquioribus fabulis usurpari. Videtur enim versibus complendis fuisse idoneum. Inde aucta paullatim sollertia tragicus illum usum vitavit.

[2] Ne quis δίκη languere opinetur, praeiverat Orestes verbis demissioribus:

νίκην δὸς ἡμῖν, εἰ δίκαι' αἰτούμεθα,

quae confestim Electra, utpote cuius acrius sit ingenium, excipit:

δὸς δῆτα πατρὸς τοῖσδε τιμωροῖς δίκη.

ἦλθ' οὐχὶ μικρὰν θεὸν ἔχων αὑτοῦ μέτα
ὁ τῆσδ', ἀλάστωρ, εἴτ' Ἀλέξανδρον θέλεις
ὀνόματι προσφωνεῖν νιν εἴτε καὶ Πάριν.

'Voces eum, quocumque voles mortali nomine, certe ἀλάστωρ fuit'. Iam propria sua vi distinctio illa εἴτε — εἴτε particulis inducta non indiget; cum enim antea ad totum, quod praecedit, enuntiatum referenda fuerit, nunc unice pertinet ad id vocabulum, in quo summa sententiae versatur: ἀλάστωρ.

Subicio Medeae versus 866 sq.

ἥκω κελευσθείς· καὶ γὰρ οὖσα δυσμενὴς
οὔ τἂν ἁμάρτοις τοῦδέ γ', ἀλλ' ἀκούσομαι
τί χρῆμα βούλει καινὸν ἐξ ἐμοῦ, γύναι.

quibus tamen verbis cave ne nimium pondus addas, quoniam τοῦδε eodem iure a neutro τόδε licet derivare. 'Hoc saltem non te deficiet, sed audiam'.

Sequantur Alcestidis versus 734—36:

ἔρρων νυν αὐτὸς χἡ ξυνοικήσασά σοι
ἄπαιδε παιδὸς ὄντος, ὥσπερ ἄξιοι,
γηράσκετ'· οὐ γὰρ τῷδέ γ' εἰς ταὐτὸν στέγος
νεῖσθ'.

Verto: 'non enim in easdem, quas hic, aedes revertemini'. Cum enim proxime παιδός praeeat neque pronominis, quem sumpsi, usus a sermone Graeco abhorreat, hanc duco et simplicissimam et verissimam interpretationem.

Haec igitur satis aperta sunt; progredior ad versus eiusdem fabulae 1089 sq., ubi cum Hercules mirabundus rogasset:

τί δ'; οὐ γαμεῖς γάρ, ἀλλὰ χηρεύσει λέχος;

Admetus respondet:

οὐκ ἔστιν, ἥτις τῷδε συγκλιθήσεται.

Sic certatim omnes ediderunt tum quoque cum codices Palatinus et Laurentianus in minore auctoritate essent, quam hodie merito iis tribuitur. At liber haud peior Vaticanus vide quid praebeat:

οὐκ ἔστιν, ἥτις τῷδ' ἀνδρὶ συγκλιθήσεται.

Quae lectio prava est; sed en emergit iustus trimeter:

οὐκ ἔστιν, ᾗ τῷδ' ἀνδρὶ συγκλιθήσεται.

Ut enim ᾗ in ἥτις abiret librari neglegentia fieri potuit; tum qui versum purgaturus erat, facili errore eo adducebatur ut ἀνδρί deleret. Documento sunt Byzantini, quorum in exemplaribus

idem quod in Florentino et Palatino invenitur, cum libros eorum ad codicem Vaticani similem redire demonstratum sit.

Restat versus spurius meo iudicio Sophocl. Trach. 305:

ὦ Ζεῦ τροπαῖε, μή ποτ' εἰσίδοιμί σε
πρὸς τοὐμὸν οὕτω σπέρμα χωρήσαντά ποι,
μηδ', εἰ γένοιτο, τῆσδέ γε ζώσης ἔτι.

Miror interpretes fugisse apertam tautologiam. Quod enim in prioribus duobus versibus pudenter atque obscure iecerat, verbis usa haud inconsideratis: μή ποτ' εἰσίδοιμί σε, id votum in peius versum et aliter ac decebat generosam mulierem, ultimo trimetro Deianira eloqui cogitur, quasi vero, quidquid calamitatis ipsa mortua suis eventurum esset, minime curaverit.

Haec fere de hac re putavi esse dicenda. Apparet autem, opinor, fundamento infirmiore niti opinionem eorum, qui simplex ὅδε idem atque ἐγώ tragicis valere potuisse sibi persuaserint.

ἐπεί γε [1] ut omnino insolens atque inusitatum, ita in tragoedia nisi sparsim non deprehenditur. Est enim unum apud Aeschylum exemplum Pers. 384

ἐπεί γε μέντοι λευκόπωλος ἡμέρα
πᾶσαν κατέσχε γαῖαν,

unum quod certum sit, apud Sophoclem Trach. 484

ἐπεί γε μὲν δὴ πάντ' ἐπίστασαι λόγον,

cum Antig. versum 923 alia de causa deleverit Nauckius; utriusque autem proprium est hoc quod cum μέντοι, μέν δή nexa particula γέ occurrit, quibuscum e more saepissume (ita) iungitur. Quare sine his ne γέ quidem ad ἐπεί illos appositυros fuisse iure existimes, maxime quidem Aeschylum in enuntiato temporali. Diversa autem res est apud Euripidem, cuius quattuor exempla indubitata mihi enotavi. Nam Cycl. v. 220

ἥκιστ'· ἐπεί γ' ἂν ἐν μέσῃ τῇ γαστέρι
πηδῶντες ἀπολέσαιτ' ἂν ὑπὸ τῶν σχημάτων

Seidlerus ἐπεί μ' ἂν revocavit et eiusdem fabulae versum 181 spurium notavit Wilamovitzius Anal. Eurip. p. 225. Itaque relincuntur

Hercul. 140 τὸν Ἡράκλειον πατέρα καὶ ξυνάορον,
εἰ χρή μ' ἐρωτῶ· χρὴ δ', ἐπεί γε δεσπότης
ὑμῶν πέφυκα.

---

[1] non numero exempli gratia Eur. Hel. 1284: ἐπεί νῦν γ' ἀθλίως ⟨σ'⟩ ἔχονθ' ὁρῶ.

Hippol. 954 βάκχευε πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς·
ἐπεί γ' ἐλήφθης.

Ion. 1353 ἐπεί γ' ὁ δαίμων βούλεται· πάροιθε δ' οὔ.

Helen. 556 ἵστημ', ἐπεί γε τοῦδ' ἐφάπτομαι τόπου.

Si sensum examinas, in Supplicum Hippolytique exemplis γέ acerbae irrisionis vim orationi adspergere videtur, quatenus prorsus εἰρωνικῶς dicitur ἐπεί γ' ἐλήφθης, ἐπεί γε δεσπότης ὑμῶν πέφυκα [1]. Hinc discrepat Ionis locus, quo γέ illud est, quod in responsione frequentatur, nostrum 'ja'; ergo cum coniunctione per se nihil commune habet. At Helenae v. 556 quam vim peculiarem particulae attribuam, dubius haereo, nisi idem fere ἐπεί γε, quod ἐπειδή, ἐπείπερ, valere contendamus. Est autem illa versus sedes ἐπειδή particulae propria adeo quidem, ut nisi ante semiquinariam in trimetro Graeco nusquam [2] inveniatur; semel igitur a tragico, quod per se rarissimum est, id in illum locum esse admissum saltem memorabile puto [3]. Certa quidem vocabula certis trimetri sedibus recurrere alii iam animadverterunt, ut Stadtmuellerus [4] οἶμαι plerumque ante caesuram penthemimeren obversari docuit. Idem de μέντοι (μὲν δή, μέν νυν) dicendum, nisi quod exstat versus Aeschyleus haud pulcre modulatus Agam. 907

πιθοῦ· κράτος μέντοι πάρες γ' ἑκὼν ἐμοί.

conf. Aristoph. Nub. 126

ἀλλ' οὐδ' ἐγὼ μέντοι πεσών γε κείσομαι.

Ἐχρῆν post vocabula in consonam exeuntia in antiquioribus Euripidis fabulis minime saepe invenitur, nusquam in Alcestide, singulis in Medea, Hippolyto, Heraclidis exemplis. Ea vero ita comparata sunt, ut οὐκ particula semper antecedat: Med. v. 507.

οὓς δέ μ' οὐκ ἐχρῆν κακῶς | δρᾶν,

Hippol. v. 297 εἶέν· τί σιγᾷς; οὐκ ἐχρῆν σιγᾶν, τέκνον.

Heracl. v. 1000 κείνου δ' ἀπαλλαχθέντος οὐκ ἐχρῆν μ' ἄρα...

---

[1] 'da doch offenbar'. cf. Herodoti I 60, III 9.

[2] praeter duos Aristophanis locos.

[3] ἐπειδή Eur. Andr. 57, 928; Hecub. 776, 1001; Helen. 7, 612, 1005, 1408, 1569; El. 20; Heracl. 29, 206, 507, 744, 819, 976, 1009; Herc. 284, 722; Suppl. 879; Hipp. 287, 399; Iph. Taur. 78, 530, 595, 630 etc. ἐπειδή γ' semel in tragoedia Hippol. v. 946. cf. Aristoph. Equ. 671; plura in Thucydide exempla (3). (cf. Ionis Pseudoplatonici 532, B.)

[4] Beiträge zur Texteskritik der Euripideischen Medea. Progr. Heidelb. 1876 p. 15.

Porro Hecub. v. 1187 Ἀγάμεμνον, ἀνθρώποισιν οὐκ ἐχρῆν ποτε...
Suppl. v. 512 ὑμᾶς ὑβρίζειν οὐκ ἐχρῆν τοιάνδ' ὕβριν.
fragm. 1094 Παλλάς, τί δρῶμεν; οὐκ ἐχρῆν ἡμᾶς ἔτι...

Nec dissimiles sunt ii loci, quibus pronomen relativum ipsum quoque monosyllabum ἐχρῆν formae praemittitur. Quod octies factum repperi: Androm. v. 1001; Hecub. 1234; Electr. 1012; Troad. 390, 656, 937; Bacch. 964; fr. 736_2. Satis inde idoneam explicationem habet, quod est Orest. v. 1030 ζῆν ἐχρῆν σ' ὅτ' οὐκέτ' εἶ. At si antecedit vocabulum maius quam quod una syllaba contineatur, ἐχρῆν constanter in fine trimetri collocatum esse cernes, velut Suppl. 174 ἀλλ' ὡς νεκροὺς θάψωσιν, οὓς αὐτὰς ἐχρῆν — Suppl. 266 γραῦς οὐ τυχούσας οὐδέν, ὧν αὐτὰς ἐχρῆν. Androm. 395; Helen. 1650; Ion. 1315; fr. 1035. Nec dubito quin Troad. v. 1218 corrigendum sit: ἃ δ' ἐν γάμοισι χρῆν σε προσθέσθαι χροΐ [1]. Iam inter fragmenta tragicorum a Blassio Mus. Rhen. vol. XXXV p. 74 sq. publicata primum, quod sic orditur: ὦ πάτερ, ἐχρῆν, vide quam recte Euripidi tribuant [2].

Superest una admonitiuncula. Nimirum quod de ἐχρῆν post consonas usurpato verba feci, neglexi quae libris traduntur δ' ἐχρῆν, μ' ἐχρῆν, σ' ἐχρῆν, ἄκλαυστ' ἐχρῆν, ubi tandem δὲ χρῆν, μὲ χρῆν, σὲ χρῆν, ἄκλαυστα χρῆν edere coeperunt. Huius autem generis alia quoque sunt quae nescio an sola superstitio retineat. Ut Sophocl. Ai. v. 909 etiamnunc perperam servant codicum scripturam:

οἷος ἄρ' αἱμάχθης.

Numquam enim, mihi crede, tragici in melicis partibus quin syllabas natura vel positione longas augmento induerent praetermiserunt, cuius rei non est certius documentum illo ἆρχε Eur. Iph. Aul. 260, 279.

Nec minus errare videntur ii qui poetas tragicos ὦ ταλαίφρων γύναι (Soph. Ai. 903) ὦ φίλταθ' Αἵμων (Soph. Antig. 572) Τυνδαρί — κακόφρων κόρα [3] similia dicere potuisse perhibeant. Nullum crede in Aeschylo, Sophocle, Euripide locum tibi appariturum, quo, ut illo modo locuti esse iudicenter, me-

---

[1] γάμοις ἐχρῆν libri. cf. Wecklein Studien zu Euripides p. 367.

[2] ego etiam post Kockii disputationem doctissimam malo Wilamovitzi iudicium meum facere, qui hoc fragmentum ab Euripide abiudicavit.

[3] Eur. El. 481.

trum cogat [1]. Hinc etiam Eur. Androm. 348 ὦ τλήμων ἀνήρ [2] cum Hermanno revocare non dubitamus, praesertim cum nominativum pro vocativo ita non fugerint tragici, ut etiam ibi adhiberent, ubi haud necesse erat:

Eur. Med. 1130 ἀλλὰ μὴ σπέρχου, φίλος

Phoen. 1227 Κάδμου τε λαός, μήτε .....

ne τάλας et τάλαν, πόλις et πόλι, πόσις et πόσι perpetuo mixta commemorem. Male autem provocarunt ad exempla illa, quale est Cycl. v. 74 ὦ φίλος ὦ φίλε Βακχεῖε, quem usum ex Homero, nisi fallor, arreptum solus suo tempore Euripides neque is nisi in canticis excoluit. Ibi duae appellationes conglutinantur quidem, sed minime tam arte, ut non utraque earum propriam ac suam sequatur flexionem, id quod generum diversitas docet Androm. 510 τέκνον ὦ φίλος. Multis annis post Callimachus epigr. 58 Wilam.

τίς, ξένος ὦ ναυαγέ;

---

[1] Exstat in Rheso versus incertae lectionis 388, sed qui fere sic edatur:

χαῖρ', ἐσθλὸς ἐσθλοῦ παῖ, τύραννε τῆσδε γῆς.

Certe praestat Dindorfi coniectura: χαῖρ', ἔσθλ' ἀπ' ἐσθλοῦ ctt.

[2] ἄνερ libri. ε et η confusas puto etiam Soph. El. 1216:

ΗΛ. εἴπερ γ' Ὀρέστου σῶμα βαστάζω τόδε.

ΟΡ. ἀλλ' οὐκ Ὀρέστου, πλὴν λόγῳ γ' ἠσκημένον.

Malim: πλὴν λόγῳ γ' ἐσκημμένον a σκήπτω. Hesych. σκήψας: προφασίσας.

INDEX LOCORVM.

Euripidis:

Alc.	vs. 734 sq.	p. 36
	» 1090	» 36
	» 1125, 1126	» 5 sq.
Androm.	» 64 sq.	» 8 sq.
	» 348	» 40
	» 404	» 11
	» 585	» 24
	» 925	» 23
	» 1063	» 12
	» 1184	» 23
Hecab.	» 10	» 12
	» 540	» 30
	» 848	» 23
	» 1215	» 19
Helen.	» 78 sq.	» 10
	» 131	» 17 sq.
	» 578	» 19
	» 875	» 30
Electr.	» 481	» 39
	» 610	» 27
	» 675	» 24
	» 1058—1060	» 7
	» 1136	» 16
Herc. fur.	» 585	» 22 sq.
	» 974	» 17
	» 1422	» 21 sq.
Suppl.	» 249	» 28 sq.
	» 1048	» 20
Iph. Aul.	» 506	» 17
	» 657	» 24
Iph. T.	» 812	» 20 sq.
	» 1485	» 29
Ion.	» 101	» 28 sq.
	vs. 755	p. 31
	» 1396	» 29
Cycl.	» 145	» 18
	» 288	» 18
	» 336	» 19
Med.	» 866 sq.	» 36
	» 1305	» 32
	» 1353	» 24
Or.	» 694	» 13
	» 1097	» 7
	» 1635	» 30
Troad.	» 940	» 35
	» 1218	» 39
	» 1331	» 8 not.
Phoen.	» 526	» 10
	» 825	» 19 not.
frg.	» 935 Nauck. II.	» 39 (et not.)

Sophoclis;

Ai.	vs. 116	p. 33
	» 311	» 18
	» 496	» 20
	» 909	» 39
	» 946	» 21
El.	» 150	» 18
	» 1216	» 40
Trach.	» 305	» 37
O. C.	» 1028	» 19 not.

Aeschyli.

Agam.	vs. 354	p. 22
	» 1181	» 30
Eumen.	» 349 sq.	» 32
Prom.	» 973	» 12

Monosyllaba in binis deinceps elevationibus brevia

pedis		I—II	II—III	III–IV	IV—V	V—VI	IV—V—VI	summa
Aeschyli	Pers.	—	—	—	2	—	—	2
	Sept.	—	—	—	—	—	—	—
	Agam.	2	—	1	1	—	—	4
	Choeph.	1	—	—	—	—	—	1
	Eum.	—	—	—	—	—	—	—
	Suppl.	1	—	—	—	—	—	1
	Prom.	—	—	—	—	—	—	—
Sophoclis	Ai.	—	—	—	2	—	—	2
	El.	1	—	2	—	—	—	3
	Antig.	1	—	—	1	—	—	2
	O. R.	1	4	—	—	—	1	6
	Trach.	—	—	1	2	—	—	3
	Philoct.	—	—	—	3	1	—	4
	O. C.	2	—	1	—	1	—	4
Euripidis	Alc.	—	1	—	—	—	—	1
	Androm.	—	—	—	—	—	—	—
	Bacch.	—	—	—	—	—	—	—
	Hecub.	1	—	—	—	—	—	1
	Helen.	—	—	—	1	—	—	1
	Electr.	—	—	3	1	1 (?)	—	5
	Heracl.	—	—	1	—	—	—	1
	Herc. fur.	1	—	—	—	—	—	1
	Suppl.	1	2	2	—	—	—	5
	Hippol.	1	—	1	—	—	—	2
	Iph. Aul.	—	—	—	—	—	—	—
	Iph. T.	4	—	—	1	—	—	5
	Ion.	—	—	2	—	—	—	2
	Med.	—	1	—	—	—	—	1
	Orest.	1	—	—	—	—	—	1
	Troad.	—	—	—	1	—	—	1
	Phoen.	—	1	1	—	—	—	2
		18	9	15	15	3	1	

VITA

Martinus Ludovicus Radermacher natus sum in oppido Rhenano nomine 'Siegburg' a. h. s. LXVII die XXXI mensis Octobris patre Petro, matre Katharina de gente Mohr, utrisque adhuc superstitibus. fidem profiteor catholicam. anno LXXVI progymnasii urbis patriae discipulus factus, vere anni LXXXIV Coloniam Agrippinam demigravi, ubi in gymnasio, quod est ad Apostolorum ecclesiam, maturitatis testimonium consecutus sum anno LXXXVI. Hinc, studiis philologis operam navaturus, almam matrem Bonnensem petivi, cuius civis permansi usque ad haec tempora. Docuerunt me viri clarissimi: Aufrecht, Bender, Buecheler, Franck, Klein, Loeschcke, Luebbert, Menzel, Neuhaeuser, Usener, Wilmanns. Buecheleri, Luebberti, Useneri egregia benevolentia factum est, ut in seminarium regium philologorum Bonnense reciperer, cuius per tria semenstria sodalis fui, ultimo senior. Idem per quater senos menses seminarii germanici Franckio et Wilmannsio moderantibus sodalis fui ordinarius. Denique exercitationibus Oscis et Umbricis ut interessem, benigne Buecheler permisit. Omnibus autem praeceptoribus gratias habeo maximas. Sodalitas philologa Bonnensis 'Klassisch philologischer Verein' in carissimum sodalicium me recepit a. LXXXVIII.

SENTENTIAE CONTROVERSAE

1) Platonis Theaet. 183 C scribendum est:
οὔπω συγχωροῦμεν αὐτῷ πάντ' ἄνδρα πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι, ἂν μὴ φρόνιμός τις ᾖ. ἂν μὴ ll.

2) In principio iudicii de Thucydide a Dionysio Halicarna conscripti corrigendum est: ἀλλὰ τῶν ἄλλων, ὅσοις ΠΟ ΤΟ (πολὺ τὸ) φιλαίτιον ἔνεστι κτλ. Libri: ΤΟ ΑΥΤΟ λαίτιον. αὐτὸ τὸ φιλαίτιον Krueger.

3) Dionis Chrysost. orat. 59 § 2 ◡– ὁ γὰρ δὴ μαντικώτατ Φρυγῶν integrum trimetri Euripidei frustulum est; ibid § 10 latet trimeter:
καὶ πάντες ἀπολώλασιν ὅστις μὴ φυγεῖν [ἐδύνατο].

4) Luciani Hermotim. 831 senarius est
τὸ τῶν τραγῳδῶν τοῦτο, θεὸς ἐκ μηχανῆς
fortasse ex poeta comico sumptus.

5) Varronis Sat. Menipp. fr. 384 Buecheler. verum est: nast cium n o n vides etc.

6) Catulli VI 6 Nam te non viduas iacere noctes
Nequiquam tacitum cubile clamat,
'nequiquam tacitum' ad 'te' referas.

7) Aetnae vv. 582 sq. scribo:
Nunc hic Cecropiae variis spectantur Athenae
Carminibus gaudentque coli (soli C) victrice Minerva

8) Senecae de beneficiis II 1, 2: multi autem sunt quos lib rales facit f o r t e s infirmitas: corrige 'fors et infirmitas'.